



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-27*  
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*St. Michael. alied*

45  
THEMATA THEOLOGICA  
DISPUTATIONIS ANASCEVA-  
*sica secunda,*

DE COMMVNICA-  
TIONE IDIOMATVM REALI,  
QVÆ GENERIS EST TERTII,

*Qua*

47  
SVB PRÆSIDIO REVE-  
RENDI ET CLARISSIMI VIRI,  
Dn. SALOMONIS GESNERI, SS. Theologiae  
Doctoris & Professoris in alma Witeber-  
genſium Academia,

*Contra*

IODOCUM NAUM SIGENENSEM,  
tuebitur

M. IOHANNES SCHRODERUS  
Treſenſis Haſſus.



WITEBERGÆ,

*Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.*

CLARISSIMIS, CONSVL-  
TISSIMIS, SPECTATISSIMIS ET  
prudentissimis in inclyta Magdeburgensium  
Repub, viris,

Dn. HEMMERANO BVLDERKAR,  
Dn. VALENTINO RVPITZ; Medicinæ Doctoribus &  
Dn. NICOLAO GERKE, Syndico:  
Dn. IOHANNI LENTKE,  
Dn. MAVRITIO LENTKE: Senatoribus:  
Dn. IOHANNI LENTKE,  
Dn. IACOBO BVSSSE: Civibus primarijs,

*Dominis & fautoribus suis omni honore dignissimis,  
Theologicam hanc συζήτησιν dedicat*

M, Iohannes Schroderus,  
Autor,

DE COMMUNICATIONE  
Idiomatum reali Theses.

I.



*Argumentum tertium, quod confutandum Iodo. P. 69. 70. cus sumit, tanquam directum contra argumentū suum primum, secundum octavum; & contra responsionem suam datam ad sophisma secundum, pro orali corporis Christi manducatione allatum, non tam nostrum est, quam ipsiusmet Iodoci, ex hoc tramite aggressuri disputationem de reali Idiomatum communicatione: sicuti in calce disputationis superioris indicavimus. Nos de vestigijs suis sequamur ipsum.*

II.

*Sic autem habet illud: Quod habet proprietates divinas, omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam, infinitam vim vivificandi, id non statuendum est circumscriptum, visibile, tactile & finitum.*

*Atqui humanitas Christi per unionem personalem, ascensionem Christi ad coelos, & per sessionem ad dextram Dei accepit proprietates divinas, puta omnipotentiam, omniscientiam & omnipræsentiam & infinitam vivificandi vim.*

*Ergo humanitas Christi non est statuenda circumscripta, finita, visibile & tactilis.*

III.

*Contra Sophisticatur ab initio elencho secundū plures interrogationes. Corpus Christi utrum esset finitum & circumscriptum, non fuit ἔντερος. Hoc enim asseverare, si Circumscriptio intelligatur, quæ fit à terminis essentia, minime dubitamus.*

IV.

*Deinde πᾶσα τῆς ὁμοουριᾶς. Nam, quod alibi quoque dicebatur, Visibile & Tactile dicuntur aliàs κατ' ἐνέργειαν, aliàs κατὰ δύναμιν. Humanitatem Christi visibilem & Tactilem κατὰ δύναμιν semper esse, assentimur. At non κατ' ἐνέργειαν.*

V.

*Est enim Humanitas omnipotens: est omnipræsens: est etiam nunc gloriosa.*

VI.

*Per omnipotentiam ἐνέργεια illa suspendi quàm facile potest? Etiam ijs in rebus, quæ per ejusmodi conjunctionem, sicuti Humanitas illa, Deum nihil attinent. Exemplo est Angelus Bileamo obvius, qui conspiciebatur ab Asina Bileami, à Bileamo verò sessore non conspiciebatur.*

A 2

Omni-

## VII.

Omnipraesentia verò ratio quum omnem loci aleam excedat, aëtu ut videatur & tangatur, quod omnipraesens est, nihil necesse est: sed potius, ut loca, ita etiam illa, quæ in locis sunt, effugit.

## VIII.

Gloria deniq; facit, ut nullam commensus rationem inter se habeant oculus ψυχικὸς & corpus πνευματικόν: qua sublata, visionem cessare, nemo ignorat philosophicè doctus.

## IX.

Ut igitur Argumentum istud pro γυναικὸς nostro agnoscamus, Majorem ejus sic corrigimus: Quod habet proprietates divinas, omnipotentiam, omnipraesentiam, &c. id non statuendum est ἢ ἀνόγκως visibile & tactile κατ' ἐνέργειαν: vel: id quoad ἐνέργειαν potest esse invisibile, & intangible.

## X.

Negat Adversarius Minorem, Ex quo perspicuum est, quis sit status controversiæ hac in disputatione.

## XI.

Videlicet: Vtrum Humanitas Christi per Unionem personalem, ascensionem Christi ad cœlos, & per sessionem ad dextram Dei acceperit proprietates divinas, omnipotentiam, omniscientiam, omnipraesentiam, & infinitam vivificandi vim.

## XII.

Nostri affirmant, Iodocus negat: quibus rationibus, videamus: suscepturi postea defensionem argumentorum nostrorum, quæ vellicat.

## XIII.

## RATIO PRIMA ADVERSARII.

Cui tribuitur proprium Deitatis, eidem ipsa etiam Deitas tribuitur.

Atqui humanitati Deitas non tribuitur essentiali communicatione.

Ergo etiam Humanitati non tribuuntur propria Deitatis.

## XIV.

## Responsio.

Dignum profectò argumentum, Iodoce, quod in prima acie collocares. Αὐτολογιστὶς ἐστὶν ἐξ ἑστέρας τεσσάρων ὁρίων, 1. Tribuitur proprium Deitatis, 2. ipsa Deitas tribuitur, 3. Humanitas, 4. Deitas tribuitur essentiali communicatione.

15. Neq;

XV.

Neg enim ἰσοδυναμῶντα sūt: Tribui Deitatem Humanæ naturæ: Et tribui eam illi communicatione essentiali. Tribuitur utique & tribuenda est Deitas τῷ λόγῳ Humanæ naturæ: non tamen essentiali communicatione: sed personali seu reali.

XVI.

Si dices: Terminum medium in Majori abs te non simpliciter accipi, sed de attributione illa, quæ fit secundum communicationem essentialem, de qua Minor etiam loquatur: vitiosum erit argumentum sophismate à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

XVII.

Non enim cuiusque tribuitur proprium Deitatis quoquo modo, eidem essentiali communicatione tribuitur ipsa Deitas etiam, sed tantum cui tribuitur proprium Deitatis essentiali communicatione. & καθ' αὐτό. Cui verò proprium Deitatis tribuitur non essentiali communicatione, sed personali, eidem etiam Deitas ipsa non tribuitur essentiali, sed personali communicatione. Et hoc modo tribuuntur Humanæ naturæ propria Deitatis τῷ λόγῳ.

XVIII.

Plus eo non probas, quàm subijcis: Vt enim ἡ ἰδιότητων ἀφαιρέσις ἐστὶ τῆς φύσεως ἀγενεσις, ut cum Theodoro in tertio Dialogo loquar: ita proprietatum positio, ponit ipsam φύσιν. Verum est, positis proprietatibus, poni ipsam φύσιν, sed ut ratio ponendi & tribuendi proprietates non est una, ita & ratio ponendi & tribuendi φύσιν. Diversitatem modò exposuimus.

XIX.

Ejusdem moneta est, quando idem argumentum sic proponis: Si humana natura dici potest omniscia, eadem quoque dici potest Deitas.

Atqui humana natura non potest dici Deitas.

Ergo humana Christi natura non potest dici omniscia.

XX.

Negamus connexum propositionis. Alia enim est ratio prædicandi πᾶσι γέννησις: alia prædicandi abstractum. Nullum abstractum prædicatur de alio, cui non communicatur essentiali communicatione; & quidem tali, qua genus communicatur suis speciebus. Iam verò Deitas est abstractum, quod Humanitati essentiali communicatione non communicatur. Ergo non potest prædicari de Humanitate.

XXI.

Πᾶσι γέννησις verò est Omniscia, quod dici potest tum de Deitate, (de qua καθ' αὐτό dicitur, & quia cum Deitate simpliciter idem est omniscientia, etiam

in abstracto de ea dicitur: Deitas est omniscientia) tum de Humanitate, de qua dicitur δ' ἑστίν, καὶ ἐν ὧσι: non autem in abstracto, quia omniscientia & Humanitas ταυτὸ non sunt.

#### XXII.

Uin' exemplum? Recte dico: Corpus est sentiens, vivum: non tamen: Si corpus sentiens, vivum dici potest, idem potest dici Anima vel animeitas. (Liceat enim sic ex philosophorum schola loqui) Nempe quia haec sunt abstractiva vocabula. Recte autem παρωνύμως in concreto dicitur: Corpus est animatum, ἔμψυχον, animae unitum. Sic recte dico: Humanitas Christi est omniscia: non tamen, Humanitas ideo dici debet Deitas. Quia hoc est vocabulum ἐξ ἀφορέσεως significans. Recte autem παρωνύμως Orthodoxi patres carnē Christi dixerunt, θεωθεῖσαν, λογιθεῖσαν, Deificatam, Verbificatam, Deitati unitam.

#### XXIII.

Nec majus robur habet idem argumentum, hunc in modum instructum: Si in humanitatem transeunt revera divinae proprietates, ut volunt Ubiquitarij, transit in eandem ipsa quoque Deitas.

Atqui in humanitatem non transit ipsa Deitas: alioqui esset θεὸς ἐκτισμένον, Deus creatus.

Ergo in humanitatem non transeunt divinae proprietates.

#### XXIV.

Concedimus enim totum argumentum: qui nunquam sensimus, (quod tu, si non calumniose, falso tamen affirmas) in Humanitatem transire divinas proprietates: quomodo vel transit aqua e vase in vas; vel calor ignis in aquam abeni; vel dulcedo mellis in melicraton; sed retinemus diligenter discrimen inter communicationem illam, quae fit καὶ ἐν ὧσι (philosophi dicunt, κατὰ συνδύναμιν) ut cum transitu eius, quod communicatur, conjuncta non sit; & istam, quae cum eo conjuncta est; qualis haec idiomatum divinorum non est.

#### XXV.

De quo sic D. Basilius in sanctam Christi nativitatem: Quomodo Deitas est in carne? sicut ignis in ferro, ὃ μεταβατικῶς non transitivῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς communicativῶς. Non enim ignis excurrit ad ferrum, sed manens in loco μεταδίδωσιν αὐτῷ τῆς οἰκείας δυνάμεως communicat illi propriam suam vim & facultatem.

#### XXVI.

### RATIO SECUNDA ADVERSARII.

Proprium est, quod alteri subjecto non communicatur. Atqui



Atqui attributa Deitatis sunt proprietates Dei.  
Ergo attributa Deitatis alteri subiecto, videlicet huma-  
nitati, non communicantur.

XXVII.

RESPONSIO.

Πάντα μία κόνις. Major non est simpliciter vera. Ignis communicat splen-  
dorem suum ferro ignito, ut eodem splendore splendeant ignis & ferrum.  
Anima communicat vitam suam, facultatem sentiendi suam, facultatē moven-  
di suam, facultatem vegetandi suam corpori, ut eadem vita anima propria, ani-  
ma & corpus vivant, eadem sentiendi facultate sentiant, eadem movendi fa-  
cultate moveant, eadem vegetandi facultate functiones vitales expediant; ὁ λό-  
γος communicat hypostasin suam, quæ sanæ, si quid aliud, est propria, assumptæ  
carni, ut jam eadem divina & aeterna Hypostasi subsistant ὁ λόγος & assum-  
pta Humana natura: & quia Hypostasis τῷ ἔνωσι non differt ab essentia & es-  
sentialibus ἰδιώμασι, hæc quoque communicata sunt eidem, per communicatio-  
nem illius.

XXVIII.

Proinde, ut supra, distinguendum inter communicationem, quæ est μετα-  
βατική; & illam, quæ fit κατ' ἐνωσιν, ut μετάβασις τῶν κοινωνητῶν non habe-  
at adjunctam. De illa valebit argumentum: sed non contra nos. De hac non  
est vera Major.

XXIX.

Quamobrem extra oleas etiam fertur argumenti illius, quam subjungis,  
explicatio. Sunt, inquis, in Christo duo subiecta, unum creatum, alterum  
in creatum; proprietates ergo infiniti & increati subiecti non egredi-  
untur in aliud subiectum creatum. Quippe nemo nostratum talem ἐπι-  
σιν proprietatum Deitatis vel cogitando fingit.

XXX.

RATIO TERTIA ADVERSARII.

Contradictoriæ propositiones non possunt simul esse  
veræ, sed oportet alteram esse falsam.

Atqui hæc (corpus Christi est finitum, visibile, tactile, &  
corpus Christi non est finitum, visibile, tactile, sed infinitum,  
invisibile, intactile) sunt propositiones contradictoriæ.

Ergo simul veræ esse non possunt: vera autem est hæc,  
quod corpus Christi sit invisibile, tactile, circumscriptum:  
Ergo falsa est altera, quod corpus Christi sit invisibile, intac-  
tile, incircumscriptum.

RESPON.

XXXI.  
RESPONSIO.

**N**egatur Minor : quia non observatur τὸ πῦρ ἡμεῖς ἡμεῖς ὡσαύτως. Quod ubi non observatur, contradictio non est. Dicitur visibile & tactile corpus Christi : idemq; invisibile & intabile: utrumq; recte & vere. Illud, ut intelligas δύναιτο: hoc, ut intelligas ἀεγγοῦ. Nempe, quod videri & tangi semper potest, actu non semper videtur & tangitur.

XXXII.

Item non observatur πρὸς τὸ αὐτὸ. Actu visibile & tactile est corpus Christi; oculis videlicet & manibus gloriosis. Idem invisibile & intabile est; oculis et manibus non gloriosis. Non igitur est ἀντίφασις, nisi φανομένη.

XXXIII.

De corpore Christi infinito ne quidem fando inter nostros auditum est: sed est hoc calidum hominum malefactorum, quidvis ex se instar aranearum fingentium, mendacium. Corpus Christi finitum semper est, non infinitum: iisdemq; finibus, quibus finitum est, circumscriptum est: Etiam si non semper sit circumscriptum ab ambiente loco. Ut hoc sensu incircumscriptum etiam dici à quoquam possit, nec tamen ἀντιφατικῶς, quia non πρὸς τὸ αὐτὸ. Circumscriptum, quò certos terminos essentia habet: Incircumscriptum, quò ab externo loco non commensuratur. Item: Circumscriptum ratione illius loci, in quo versabatur secundum conditionem corporis physici, à quo ambiebatur: incircumscriptum ratione aliorum locorum, in quibus per Hypostaticam existentiam erat, à quibus non ambiebatur.

XXXIV.

RATIO QUARTA ADVERSARI.

P. 72. Quod habet infinitam potentiam, non potest à finita potentia superari & vita privari.

Atqui humana Christi natura fuit à finita potentia Iudæorum superata & vita privata.

Ergo humana Christi natura non habuit infinitam potentiam.

XXXV.

Vel Quod infinitū est, non potest cōprehendi & mori. Atqui humana Christi natura infinita est propter unionem personalem, ex h̄ypothesi Ubiquitariorum.

Ergo

Ergo humana Christi natura nec comprehendi nec  
mori potuit.

Conclusio absurda est : Ergo etiam altera præmissarū :  
at non propositio : Ergo assumptio.

XXXVI.  
RESPONSIO.

**I**N Propositione syllogismi primi est error à dicto secundum quid. Quod habet  
infinitam potentiam, non potest à finita potentia superari & vitâ privari,  
videlicet, si exerere eam velit. Quia verò tum erat status κενώσατο, in quo  
Christus humiliavit semetipsum, ut fieret obediens patri usq. ad mortē, mortem Phil. 2.  
autem crucis, Humana ejus natura potentiam, quam habuit, exercere noluit,  
sed cessit iræ patri, qui placandus erat. Hinc Christus Ioh. 14. Princeps, inquit,  
hujus mundi venit, & in me non habet quicquam, sed ut cognoscat mundus,  
quia diligo patrem, & sicut mandatum mihi dedit, ita facio.

XXXVII.

Quemadmodum igitur omnipotentiā suā ὁ λόγος non impedijt, quò minus  
natura humana, quam suam assumendo fecerat, pateretur, sed, ut celeberrimum  
illud Irenæi habet, patiente carne, requievit : ita nec per eandem omnipoten-  
tiam Humanitas, quò minus pateretur, impedijt. Non autem impedijt, quia  
noluit. Noluit, quia pati, ut genus humanum redimeret, voluit.

XXXVIII.

Quod si Major ἀπλῶς vera esset sequeretur, ne Deum quidem ab homini-  
bus impijs & blasphemis violari posse, quia habeat infinitam potentiam. In fini-  
tæ enim potentiæ aequè repugnat violari & superari. Atqui habet infinitam  
potentiam, & tamen sæpissimè violatur ab illis per blasphemias, maledicta,  
contemptum, aliaq. scelera. Potest igitur, quod infinitam habet potentiam, si  
hac uti nolit, violari ab eo, quod habet finitam. Multò magis verò Humani-  
tas, quæ illam non ex se, ut Deus, habet, sed à Deo, cui unita est.

XXXIX.

Quid ? quod Iacobus luctatus dicitur cum Deo & hominibus & prevalu-  
isse. Quomodo Deo infinitam habenti potentiam prevalere potuit homo, ut in-  
de nuncupatus fuerit Israel ? nempe quia Deus potentiam suam non exeruit.  
Sicuti ergo Deus infinitam potentiam habens & non exerens, vincti potuit à pio  
Iacobo, ita Humana Christi natura, eandem infinitam potentiam habens in λό-  
γῳ, superari potuit ab impijs Iudeis, dum non exeruit eam.

Gen. 22.

vers. 28.

B

Porro

XL.

*Porro non est par ratio Occisionis & Superationis, ut hoc verbo utamur: quæ duo in Majore copulantur. Potest Deus violari, potest superari, quando ita vult; at vitâ privari & occidi non potest; non quidem propter potentiam infinitam, sed propter essentiam mori nesciam.*

XLI.

*Idcirco rursus distinguimus: Quicquid habet infinitam potentiam ex se, illud non potest vitâ privari. Idem enim essentiam habet spiritualement, idem est vita ipsamet, omnisq; vitæ fons & auctor. Humana verò natura non habet infinitam potentiam ex se, sed ex unione cum λόγῳ: ex se verò habet, ut vitâ privari possit. Quâ privata fuit tum, quum illam non exeruit, nobis ut vitam reficeret.*

XLII.

*In altero syllogismo Minor est falsissima. Ostende istam Hypothesin & monumentis nostrorum, Zoile, si bonus es.*

XLIII.

RATIO QUINTA.

*Quod per Unionem personalem infinita Deitatis attributa habet, id non potest incrementum sumere.*

*Atqui humana Christi natura, tam corporis quàm animæ respectu, incrementum sumpsit.*

*Ergo humana Christi natura non habet per Unionem personalem infinita Deitatis attributa.*

XLIV.

*Hujus syllogismi minorem probat Iodocus: nos negamus Majorem, & probationem ejus deposcimus. Pro qua tamen adsumemus hunc, quem subjungit, syllogismum, in quo presyllogismi nervus aliquis est, licet non forma.*

XLV.

*Isq; sic habet: In quo crescit sapientia, in eo non potest esse infinita sapientia, id est, omniscientia.*

*Atqui in Christi anima crevit sapientia.*

*Ergo in Christi anima non potuit esse infinita sapientia, id est, omniscientia, qualem humanitati Christi tribuunt Ubiquitarij ex Unione personali.*

RESPON-

XLVI.  
RESPONSIO.

**R**rsum probanda erat Major, quæ hæcenus vera est, quatenus sapientia crescens in aliquo non potest esse infinita sapientia. Simpliciter veram esse negamus: cum ex illa de Christo quoq; subsumi possit: In Christo crevit sapientia. Ergo in Christo non potuit esse infinita sapientia. Ergo in Christo non fuit duplex scientia. Qui fuit error τῶν μονοθελητῶν, damnatus in Oecumenica synodo sexta.

XLVII.

Sicut ergo in Christo fuit duplex scientia, crescens & infinita: sic dicimus in Anima Christi duplicem fuisse scientiam. Vnam τῶ λόγῳ propriam, καὶ ἐνωσιν verò Animæ communicatam, quæ erat omniscientia, secundum quam crescere non potuit: nisi crescere dicatur illud, quod paulatim magis, ut loquitur Eutymius, denudatur ac demonstratur. Altera fuit habitualis, quæ in Anima Christi, seu subiecto Phisico, ἐνὶ παρῆσι suam habebat. Et hæc crevit in Christi anima.

XLVIII.

Etenim, quia inconueniens videtur, ut non ineptè disputat Thomas, quòd aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles à phantasmatibus sit quedam naturalis actio hominis, secundum intellectum agentem: conueniens videtur, hanc etiam actionem in Christo ponere: Et ex hoc sequitur, quòd in Anima Christi aliquis habitus scientiæ fuit, qui per eiusmodi abstractiones specierum potuerit augmentari, ex hoc scilicet, quòd intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas, à phantasmatibus poterat etiam alias abstrahere.

XLIX.

Idq; in statu Exinanitionis Christi, qui, veluti nubes quedam, interpositus erat inter aspectum animæ Christi, & inter solem diuinæ omniscientiæ. Quamvis enim anima hujus, quoad actum primum, beneficio Unionis facta erat particeps; aspectatio tamen & fruitio, qui est actus secundus, nondum dabatur: nisi quòd interdum radij quidam affulgebant illi. Interea alebat se scientia sua habituali, qua indies proficiebat, tum per nature in Christo, πρῶτον ἐν τῷ σώματι, præstantiam, tum per gratiæ antecellentem affluentiam & in propinquius receptivum, ut loquitur Thomas, pleniorē influentiam.

Art. 1. q. 7.  
P. 3.

L.

RATIO SEXTA ADVERSARII.

Qui omnia scit & omnia potest, is alterius opem non implorat.

B 2

Atqui

Atqui humanitas Christi, tam in sua, quàm in aliorum  
causa alterius videlicet Dei auxilium implorat.

Ergo humanitas Christi non omnia scit, nec omnia  
potest.

LI.

### RESPONSIO.

**A**B eodem diagrammate & hoc argumentum. Laborat elencho  $\alpha\alpha\alpha\alpha\ \tau\omicron\ \pi\iota\ \omega\varsigma\ \alpha\pi\lambda\omega\varsigma$ . Qui omnia potest, alterius opem non implorat, videlicet si omni-  
nipotentia sua uti possit & velit. Iam vero Humana Christi natura in statu  
Exinanitionis omnipotentia sua uti non poterat, quòd illius usu se abdicarat.  
Itaq; necesse fuit, ut imploraret eum, qui usu ejus se non abdicarat, sed uti et-  
iamnum poterat.

LII.

Huc accedit, quòd Humana natura non ex se omnia poterat, sed per omni-  
potentiam  $\tau\delta\ \lambda\omicron\gamma\delta$ . Iccirco & nihil per eam efficiebat, quod non  $\pi\rho\omega\tau\omega\varsigma$  ef-  
ficeret  $\delta\ \lambda\omicron\gamma\delta$ .

LIII.

*Iohan. 5.  
vers. 19.* Porro nihil faciebat Filius, nisi quod facientem videret Patrem. Pater  
enim in ordine personarum est primus, quo operante Filius operatur, & quo  
non operante Filius non operatur: Operante autem vel non operante Filio, as-  
sumpta ejus natura operatur vel non operatur. Siquidem unica  $\kappa\alpha\tau'\ \delta\epsilon\iota\kappa\tau\omicron\varsigma$  est  
omnipotentia Patris & Filij, & in persona Filij assumpta natura, ut dictum est.

LIV.

Ita, licet Humana Christi natura in statu Exinanitionis omnipotens es-  
set, quia tamen ex se non erat omnipotens, ideoq; omnipotentiam suam exerere  
non poterat, nisi exereret Pater per Filium, opè Patris implorare omninò po-  
tuit.

LV.

Eidem argumento implicatur omniscientia, sed cui nihilo magis repugnat  
ista Christi invocatio. Aut enim implorabat opem Dei in hisce, de quibus se ex-  
auditum iri sciebat: aut in hisce, de quibus se non exauditum iri sciebat. Atquò  
invocatio in his, de quibus sciebat, se exauditum iri, cum omniscientia adeò non  
pugnabat, ut potiùs hac illam suffulciret. Siquidem invocationis vis tanta est  
major, quantò certius scimus, auxilium iri latum.

LVI.

Neq; etiam dicitur inconstanter, Christum hominem fuisse omniscium, &  
tamen implorasse Patrem in his, in quibus se non exauditum iri nôrat. Ut quan-  
do clamabat: Pater, si fieri potest, transeat calix iste à me. Enimverò calicem  
hunc

hunc non transiturum, etiam per habitualem suam scientiam nōrat, quod nemo, cui synciput est sanum, negare poterit. Verūm quod optime nōrat, id non illico in mentem, gravissima anxietate obrutam, veniebat, ut in ipso momento reputasset, se hac lege in mundum hunc descendisse, ut calicem istum ebiberet. *Via* & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, sed cui statim, animo collecto, correctionem addidit.

LVII.

Quod si igitur invocatio illa stare potuit cum habituali scientia Christi hominis, qua in statu exinanitionis uti poterat; quanto magis cum omniscientia, cujus usu se abdicarat. Nam ut aliquid non petam, quia me non impetraturum sciam, requiritur scientia, quam habeo, actus secundus & usus. Qui si non excitatur, vel supprimitur, potest fieri ut petam, quod me non impetraturum sciebam, nunc autem non cogito.

LVIII.

Haecenus excussimus rationes, quibus Iodocus noster communicationem Idiomatum in tertio genere impugnavit: progrediens nunc ad argumenta nostrorum, quibus eandem confirmare solent, ut illa à Iodoci morsibus tueamur.

LIX.

RATIO PRIMA NOSTRA.

Cui data est  $\pi\alpha\sigma\alpha \epsilon\gamma\sigma\iota\alpha$ , id est, omnis potestas, is est omnipotens.

Atqui humanitati data est omnis potestas, Matth. 28. vers. 18.

Ergo humana Christi natura est omnipotens.

LX.

Ad hanc propositionem duo respondet. Primum: Propositio, inquit, universaliter posita falsa est: quia differunt  $\pi\alpha\sigma\alpha \epsilon\gamma\sigma\iota\alpha$ , &  $\pi\alpha\sigma\alpha \delta\upsilon\upsilon\alpha\mu\iota\epsilon$ . Declarat exemplo. Imperatori nostro data est potestas recuperandi Turcicum imperium, sed illi non est data facultas & potentia. Sic etiam Christi humana natura habet jus & potestatem in omnes creaturas.

LXI.

$\text{Ανταπόκρισις.}$

Propositio major in argumento nostro loquitur de  $\pi\alpha\sigma\alpha \epsilon\gamma\sigma\iota\alpha$  illa, quae vel nihil aliud est, quam  $\pi\alpha\sigma\alpha \delta\upsilon\upsilon\alpha\mu\iota\epsilon$ , vel saltem  $\pi\alpha\sigma\alpha \delta\upsilon\upsilon\alpha\mu\iota\epsilon$  includit. Neque enim sentire fas est, Patrem, qui omnia Christo in manus tradidit, tradidisse.

B. 3.

Phil. 2.

ἵβη ἐξουσίαν δυνάμει vacuā. Si omnia tradidit, cur non et δυνάμιν? aut quorū  
sum ἐξουσίαν, si non δυνάμιν, quæ est ἐξουσία anima? In rebus humanis, in fir-  
mitati obnoxys, fieri possit, ut quis ἐξουσίαν habeat in eos, in quos δυνάμιν non  
habeat: at in exaltatione Christi, quando omnia subiecta fuerunt pedibus ejus,  
ut in nomine ejus flectenda sint genua caelestium, terrestrium & inferorum, lo-  
cum non habet,

### LXII.

Propterea argumentum nostrum sic explicamus & astringimus: Cui  
data est πᾶσα ἐξουσία, quæ vel est ipsamet πᾶσα δυνάμις, vel πᾶσα δυνά-  
μις inclusam habet, is est omnipotens. Atqui humanitati data est πᾶσα ἐξουσία,  
quæ vel est ipsamet πᾶσα δυνάμις, vel πᾶσα δυνάμις inclusā habet. Ergo  
&c.

### LXIII.

Assumptum probatur. Quia scriptura, quod hic vocat ἐξουσίαν, alibi ap-  
pellat δυνάμιν. Luc. 22. vers. 69. Act. 10. vers. 38. Apoc. 4. vers. 11. Apoc.  
5. vers. 12. alibi conjungit utrumq; vocabulum Apoc. 12. vers. 10. alibi ἐξουσίαν  
illi ejusmodi effecta tribuit, quæ δυνάμιν satis declarant; ut αὐτὸ κατ' ἐξουσίαν  
illam remittit peccata, Matth. 9. vers. 6. spiritibus immundis imperat, M. 11.  
vers. 27. judicat, Ioh. 5. vers. 27. animam suam sumit, Ioh. 10. vers. 18.  
dat vitam æternam, Ioh. 17. vers. 2. alibi describit, ut potestatem æternam,  
Dan. 7. ut gloriam, quam Christus habuerit apud patrem, antequam mundus  
esset. Ioh. 17. ut regnum, in quo subiecta ei sint omnia, 1. Cor. 15. vers. 27.  
Heb. 2. vers. 8. Psal. 110. in quo confederit ad dexteram DEI. Act. 2. vers. 34.  
36. & in quo aboliturus sit πᾶσα ἄρχὴ, καὶ πᾶσα ἐξουσία, καὶ δυνάμις.  
1. Cor. 15. vers. 24.

### LXIV.

Unde apparet, exemplum Imperatoris nostri, qui potestatem habeat  
recuperandi Turcicum imperium, non autem potentiam & facultatem, quoniam  
ἐξουσία, Christo homini data, non posse conferri. Quippe secundum hanc huma-  
na Christi natura subiecta habet omnia, dominatur in medio inimicorum suorū,  
regit eos in virga ferrea, & tanquam fas viguli confringit eos: quorum nihil  
faceret, si non simul accepisset δυνάμιν. Cujusmodi verò δυνάμις in hostes su-  
os Imperatori nostro deficit.

### LXV.

Sed bene habet. Iodocus ipse ἐξουσίαν, δυνάμει vacuam, Humanitati  
Christi datam dicere non audet. Scribit enim: Humana natura habet jus &  
potestatem in omnes creaturas, sed quod ipsa (Humana Christi natu-  
ra) perficere non potest, id perficit virtute propriæ suæ Deitatis.

Quid



LXVI.

Quid verò? an sentit nobiscum Humanitatem Christi participem esse factam realiter virtutis & omnipotentia divina? καλῶς μὴ ἔλεξε; sed mala mens. Quodcunque enim, addit, humanitas jam vult, id non negatur ei à Deitate sua. Nimirum, Iodoce, quod quis per alium facit, idem est, ac si ipse faciat. Sic tu fingis, satis esse, ut Humanitas Christi dicatur perficere virtute Deitatis, quæ sua virtute perficere non potest, si ea sola Deitas, ita volente Humanitate, perficiat. Hoc cine est θεολογῶν?

LXVII.

Edisere ergò, quomodo Christus homo Matth. 9. remittebat peccata? an quia Divinitas ejus, volente ipso, remittebat? ἀτοπον. Quomodo unctus spiritu sancto & virtute obambulavit benefaciendo & sanando oppressos à Diabolo? an quia Divinitas ejus unctus spiritu sancto & virtute obambulavit, benefaciendo & sanando oppressos? ἀσεβεία.

LXVIII.

Edisere hoc D. Athanasius, dial. 5. de Trinit. sicut, inquit, anima rationalis suas ipsius potentias seu operationes edit, exerit & perficit in corpore humano: Ita Deus λόγος unitus homini, edit miracula non seorsim aut separatim à natura humana, sed pro sua bonitate placuit ipsi, per assumptam humanam naturam, in ea, & cum ea propriam suam divinam potentiam exercere. Item serm. 4. contra Arian. Nisi opera Divinitatis per Corpus patrata essent, nunquam homo Deificatus esset.

LXIX.

Iam, Non est tribuendum organo, quod principale operatur citra organon. Quemadmodum igitur de corpore non potest dici, quod credat virtute anime, quia sola anima credit: ita de Humana natura non potest dici, quod perficiat virtute Deitatis ea, quæ sola Deitas perficit.

LXX.

Sequeretur, actiones Deitatis proprias, quas illa, quia Humanitas ita vult, perficiat, principaliter Humanitati esse transcribendas. Siquidem principaliter efficere dicitur, non ille, qui τὸ ἐνεργεῖν efficit, sed is, cujus voluntate, efficit. ἀθεολογῶν.

LXXI.

Tribuendæ sunt illæ humanitati, tanquam instrumento. Deitati principaliter, juxta illud Athanasij in loco citato: si quid divinitus per organon corporis sui egit, sciamus Deum esse, qui operatur. De instrumento autem dici non potest, quod ad ipsius voluntatem aliud agat, sed ipsum ad voluntatem alterius, principalis scilicet agentis, agit. Non movet, nisi moveatur: inquit doctissimus Scaliger. Ex 297. f. 3. Caterum

## LXXII.

*Cæterum quoniam dictum istud de Divinitate, quæ non neget humanitati, quodcumq; velit, aures veritati assuetas rasurū suspicabatur, respondet secundo:*  
 P. 74. Si vel maximè Ubiquitarijs concederemus, humanitati omnia data esse, omniscientiam & omnipotentiam, non tamen nos erroris convincerent.

## LXXIII.

ΑΥΤΑΠΟΚΡΙΣΙΣ.

**A**T qui hoc ipsum est, quod illi, quos tu Christolyta vocas Ubiquitarios, apertis tibijs asserunt verissimum, & quod tantis dimicationibus adversus gregales tuos hætenus defenderunt.

## LXXIV.

Verba sanè litem non facient, si quid accusant, sensum tuum malum sub verbis bonis accusant. Ita enim datam censes omnipotentiam assumptæ naturæ, ut tamen omnipotentem dici posse neges. Ipsi verò sic datam omnipotentiam τῷ λόγῳ statuunt, quemadmodum & subsistentiam ejus. Datâ hæc, subsistens τῷ λόγῳ subsistentiâ rectè dicitur. Ita datâ illâ, omnipotentem τῷ λόγῳ omnipotentia, rectè dici volunt.

## LXXV.

*Similis est ratio syllogismi hujus:*

Cui datur Deitas, ei dantur omnes Deitatis proprietates.

Atqui Humanitati per Unionem personalem, non per transfusionem, data est Deitas.

Ergo humanitati Christi data sunt omnia, non per transfusionem, sed per Unionem.

## LXXVI.

Transfusionem Idiomatum ignorant nostri quoq; communicationem factam per Unionem, agnoscunt: dexteriore tamen sensu. Siquidem per Unionem dari tibi, nihil est aliud, quàm uniri: illis verò est ita uniri, ut per unionem λόγῳ & uniens natura sibi unitæ ἰδιώματα sua realiter communicet.

## LXXVII.

Quod nisi fiat, non potest sequi illud, quod tu colligis: nempe Humanitatem, quæcumq; vult, ea per propriam Deitatis suæ vim & potentiam perficere posse. Unio certè per se non sufficit: alioqui quicquid alterum unitorum perficeret, posset alteri tribui, ut virtute illius perfecisse diceretur.

Non

LXXVIII.

Non potest dici de Anima, quod ingrediatur, saltet, comedat, bibat, virtute corporis, cui unita est, etiamsi ad has actiones ipsa conferat virtutem corpori; multo minus de corpore, quod sciat, opinetur, suspicetur virtute animae, cui unitum est, & cujus illae operationes sunt inorganicae. Sic igitur de Humanitate dici non potest, quod propter Unionem operetur per Deitatis virtutem, quae sola Deitas operatur. Sed quemadmodum corpus dicitur ingredi, comedere virtute animae, non simpliciter, quia unitum est animae, sed quia per Unionem illam factum est particeps potentiae motricis in anima: ita si Humanitas dicenda est perficere Deitatis opera per virtutem huius, non satis est dixisse, Humanitatem unitam esse Deitati; sed hoc amplius, Humanitatem per Unionem illam factam τὸ ὄντι participem potentiae Deitatis.

LXXIX.

RATIO SECUNDA NOSTRA.

Qui omnia scit, is habet divinas proprietates.

Atqui humana Christi natura omnia scit.

Ergo humana Christi natura habet divinas proprietates.

tes.

LXXX.

Respondet primò ad propositionem: Qui omnia scit ex se & uno intuitu, is habet divinas proprietates: Sic Deus omnia ex se scit, uno intuitu, Heb. 4. vers. 14.

LXXXI.

Deinde ad assumptionem: in statu ταπεινώσεως & five humiliationis humanitas Christi non omnia scivit: Crevit enim sapientiã corã Deo, Luc. 2. vers. 52. ignoravit extremum iudicij diem, Marc. 13. vers. 32. ignoravit esse in arbore ficos. Matth. 21. vers. 19. Iam in statu exaltationis novit quidem Christi humanitas omnia, quot sint damnandi, quot salvandi, quot sint mortui, quot morituri: sed hæc non novit ex se, neq; novit ea uno intuitu, sed diversis cogitandi actibus.

LXXXII.

ἄντα πόντιστε.

**E**rror primus consequentis est in responsione ad propositionem. Verba illa: Qui omnia scit ex se, vim idoneam excludendi non habent. Verum quidem est: Qui omnia scit ex se, is divinas proprietates. Sed non idè: Qui omnia scit, non tamen ex se, is divinas proprietates non habet: modò omnia sciat per illã  
C omni-

omniscientiam, qua quis ex se sciat. Haecenus igitur valet ista restrictio: Qui omnia scit ex se, is divinas proprietates habet ex se, hoc est, is est Deus. At qui omnia, non tamen ex se, scit, is divinas proprietates habet quidem, non tamen ex se, sed per unionem. Habet enim illam omniscientiam, qua Deus ex se scit omnia.

LXXXIII.

Huc pertinet illud Hugonis de anima Christi: Dicamus tota sapientia Dei in anima Christi est. Et ex tota sapientia Dei aut Christi sapiens est. Neque tamen aequalis Deo anima Christi est: quia sapientia Dei non est. Porro longe aliud est sapientiam sapere, & aliud sapientiam esse: Quia, qui sapit sapientiam, quod habet, aliunde accipit. Qui sapientia est, ex semetipso habet, quod capit. Illic gratia: hic natura: Et idem illic gratia, quod hic natura: nec tamen illic gratia naturam ad immensitatem commutat, nec hic natura ad mensuram gratiam coarctat.

LXXXIV.

Secundus error in Responsione ad assumptionem, ubi non distinguit inter scientiam Humanitatis increatam, & creatam seu habitualement. Scivit omnia Humanitas Christi etiam in statu exinanitionis, quo ad actum primum omniscientiae, cujus particeps inde ab utero materno fuit. Non autem omnia scivit, 1. quo ad actum secundum omniscientiae illius, 2. quoad habitualement scientiam.

LXXXV.

Crevit igitur Humanitas Christi sapientia coram Deo; nempe quo ad habitualement suam scientiam, quae incrementorum capax erat. Aliter respondet Cyrillus: Quia magis, inquit, eum homines indes admirabantur, illarum potius de Christo opinio, quam illius perfecta crescebat gratia.

LXXXVI.

Ignoravit extremum diem, Marc. 13. vers. 32. scilicet quoad habitualement scientiam suam. Item quo ad actum secundum omniscientiae. Hunc enim tum temporis status exinanitionis praepediebat. Quemadmodum enim fieri potest, ut quis species rerum in memoriae thesauro reconditas habeat, ideoque eas sciat quo ad habitum scientiae seu actum primum: idem tamen nescire eas dicatur, si, ubi opus est, non possit recordari, quia, ut acutissimus Scaliger tradit, ociosi aut nimium negotiosi vapores subeant atque insinuent sese inter species servatas, & intellectum seu intellectus super ipsas reflexionem, & ita differunt recordationem, donec removeantur intercedentia impedimenta, & species obrutae aut confusae repetantur: sic Humanitas Christi, quo ad actum primum, novit quidem novissimum diem; at quia interponebatur status ταπεινότητος, actus secundo, quem λόγος nondum concedebat, nesciebat. Accedit huc, quod omniscientia illa in anima Christi non inerat subjective.

Hilarius

LXXXVII.

Hilarius respondet: Non fuit ignorantis infirmitas, sed tacendi diffidensatio.

LXXXVIII.

Ignoravit esse in arbore ficos, Matth. 21. vers. 19. Si verè ignoravit, responsio est eadem, Mar. 11. vers. 13. additur: Non enim erat tempus ficorum. An igitur tantam ignorantiam Christo, jam in virili ætate constituto, qua nescierit, quo anni tempore fici provenerint, tribuere fas sit, tu videris.

LXXXIX.

Tertius error est, quòd scribis, Christi humanitatem in statu exaltationis scire omnia, non uno intuitu, sed diversis cogitandi actibus. Atqui qui iudex viventium & mortuorum futurus est, eum sanè omnium hominum admissa, omissa, dicta, non dicta, cogitata, non cogitata scire & intueri convenit. Illa verò diversis cogitandi actibus intueri non potest; nisi opinari velis, mentem Christi in meditatione peccatorum ab hominibus perpetratorum, totam & tantum occupatam esse. Vno igitur intuetur illa intuitu.

XC.

Quid est infinitam Deitatis & ὁ λόγος, an non uno perpetuo intuitu contemplari eum censes? illam si contemplatur, quantilla jam sunt res cætera finita, ut eodem intuitu has quoque contemplari non possit?

XC I.

Ad illud, quod ex se non novit, responsum est paulò antè. Non est necessarium, ut Humana natura ex se omnia sciat, hoc est, ut ex se habeat omniscientiam: satis est, quòd ὁ λόγος & omnia ex se scit illa omniscientia, qua ipsa scit omnia, licet non ex se.

XCII.

RATIO TERTIA NOSTRA.

Qui nobiscum est usque ad consummationem seculi, cum P. 75. ubique esse oportet.

Atqui Christi humanitas nobiscum est usque ad consummationem seculi.

Ergo Christi humanitas ubique est.

XCIII.

Assumptionem negat, I. quia dicitur: Ego vobiscum sum; non humanitas mea, &c. II. Quia testantur Evangelistæ Christum non semper nobiscum fore, Matth. 26. vers. 11, 111. & terram hanc deserturum, Ioh. 16. vers. 11. 1111. Quia profectus est in cælum, & in eo mansurus est, usque ad extremum diem iudicij.

XCIV.

Αὐταπόκρισις.

Ad primum. Et si non dicatur explicitè: *Humanitas mea erit vobiscum*: dicitur tamen implicitè. Siquidem ex eo, quod dicitur explicitè: *Ego sum vobiscum*: certa ἀκολουθίᾳ ὁ λόγος ratione ostenditur istud. Aut enim sola divina natura nunc est vobiscum; aut etiam humana. At non sola divina natura. Quaecumq; enim reali unione, qua unum per se constituitur, unita sunt, eorum unum nusquam esse potest, quin ibidem sit alterum. Ergo etiam *Humana vobiscum est*.

XCV.

Rursum: *Præsentes sibi nos haberet ὁ λόγος*, quatenus est vobiscum, quam assumptam suam naturam, quæ vobiscum non est, ἀθεόλογον.

XCVI.

Item: *Quicquid subsistit subsistentia illocali, ὡς ac locis omnibus exempta, illud præsens est in cælo & terra*. Iam verò *Humanitas Christi, quia subsistit subsistentiâ λόγος, subsistit subsistentiâ illocali, πᾶσι & locis omnibus exemptâ*,

*Humanitas igitur Christi præsens est in cælo & in terra*.

XCVII.

Deniq;: *λόγος* alicubi ἀσαρκετός esse dici posset. Ubi enim ὁ λόγος non est intra humanam naturam, ibi est ἀσαρκετός. Atqui si *λόγος* esset in terris, non autem etiam humana natura, *λόγος* quatenus hic in terris esset, non esset intra humanam naturam, & quidem totus, quia est ὅλωσ ὅλον τί. Ergo si *λόγος* his in terris esset, non autem humana natura, quatenus his in terris esset, ἀσαρκετός esset. Et quidem totus. ἀσείεσ.

XCVIII.

Ad secundum. Committitur elenchus τῶ συμβεβηκότος. Loquitur Christus. Matth. 26. de præsencia illa, quæ in diebus carnis suæ ita præsens erat, ut vitæ adjumenta ipsi, tanquam egenti, dari potuerint. Secundum vero præsenciam talem ubiq; esse humanitatem ejus, non concludit argumentum propositum.

XCVIX.

Ad tertium. Error est παρὰ τὸ χῆμα τῆς λέξεως. Iohannis, 17. Deserit Christus terram, seu relinquit mundum, suam passionem subeundo & mortem obeundo, non autem ex mundo præsenciam suam simpliciter auferendo.

C.

Probat 1, Quia relinquendo ad mundum abit ad patrem. Ad patrem verò ut veniret, non fuit, cur præsenciam suam de mundo auferret. Siquidem pater erat, qui ubiq; erat, ideoq; in mundo erat: quem etiam in se esse Ioh. 14. dixerat, 2, Quia hic abitus è mundo opponitur ejus in mundum adventus. Veni

in 1

in mundum, inquit, iterum relinquo mundum. At non venerat in mundum, presentiam suam inferendo simpliciter, sed ex Maria virgine nascendo: itaque nec relinquit mundum presentiam suam simpliciter auferendo, sed patiando & moriendo, 3. Quia Iohannes, 17, dicit: Non sum amplius in mundo, Ioh. 17, Exierat igitur tum de mundo. At quomodo exierat de mundo, qui adhuc in mundo erat, & discipulis suis, quos versu 11, capitis ejus dem in mundo esse dixerat, adhuc aderat presentens. Nempe quia hora mortis, quae mundanam ipsius conversationem sublatura erat, jam accesserat, non quia presentiam suam in mundo simpliciter abstulerat.

C I.

Ad quartum. Profectus est in caelum & mansurus est ibi usque ad diem iudicij; scilicet secundum presentiam suam naturalem, in quam motus localis cadit, quo ascendit, quo descendet. Est verò nobiscum secundum presentiam personalem, quae consequitur, Humanitatis Christi in persona τὸ λόγος substantiam. Elenchus τῶν ἀντιρρησιῶν.

C II.

Quod si ita profectus est in caelum, in eoque mansurus usque ad diem iudicij, ut nobiscum in terris amplius non sit; quomodo astitit Paulo in castris? quomodo ambulantes eum vidit Iohannes inter candelabra Ecclesiarum Asiae?

C III.

Loci Iob, 8. Antequam Abrahamus erat, ego sum, non est eadem ratio, quae hujus: Ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi. In illo loquitur Christus de se, respectu ejus temporis, quod antecesserat Incarnationem: in hoc verò respectu hujus temporis, quod subsequatur incarnationem. Quae circumstantia temporis impedit, quò minus locus ille de Christo secundum utramque naturam accipi possit: hic verò non impedit. Quocirca Argumenti popositi Majorem non infringit.

C IV.

RATIO QUARTA NOSTRA.

Quod personaliter Deitati conjunctum est, oportet esse ubique;

Atqui humanitas Christi personaliter filij Deitati conjuncta est.

Ergo humanitas Christi est ubique.

C V.

Respondet: Propositio falsa est: Nam humanitas Christi in utero matris jacens, in terris ex loco in locum migrans, in cruce pendens,

C 3,

quia

Quin etiam in partes essentielles, in corpus & animā, distracta, conjuncta fuit personaliter cum Deitate sua; nec tamen cum Deitate omnia loca replevit.

#### CVI.

*Contra.* Error est  $\omega\alpha\zeta$  ἀγνοίω τὸ ἄλέγχε. Aliud est ubiq; esse simpliciter, aliud, ubiq; esse respectu creaturarū et Replere omnia. Humanitas Christi, in statu Exinanitionis, quando jacuit in utero matris, de loco in locum migravit, in cruce pependit, in partes essentielles corpus & animam distracta fuit, ubiq; fuit simpliciter: hoc est, nullus fuit locus, in quo non fuerit etiam Humana natura, intra λόγον. Id enim ad unionem ἐξ ἀνάγκης consequitur. Nec quicquam repugnant enumerata illa. Non autem fuit ubiq; respectu creaturarum, ut, quemadmodū Scholastici exponunt, & laudat Sadeel, repleret omnia, omnia continendo, conservando, gubernando, fovendo, sustentando. Hoc enim ad statum exaltationis proprie pertinet.

Cap. 4. in  
resp. ad  
obj. I.

P. 76.

#### CVII.

*Urget.* Quid? inquit, quod Ubiquitarij docent, corpus Christi gloriosum physicè in cœlo consideratum esse jam circumscriptū, quod tamen à Deitate avulsum esse, nequaquam sunt dicturi?

#### CVIII.

*Contra.* Duplex est περιγραφή circumscriptio. Interna per fines, quibus essentia cujusq; rei create clauditur: Et externa, quæ fit ab ambiente corpore alio. Illam corpus Christi gloriosum in cælis etiam retinet, quod nunquam non finitum est corpus: ut sæpius dictum. Hanc verò gloria sustulit. Neq; enim fingere licet aliquod corpus in cælesti illa beatitate, cujus intra cava gloriosa contineantur corpora.

#### CIX.

Neutra Divulsionē importat; quia neutra tollit omnipresenciam. Circumscriptio externa excludit corpora alia ab illo loco, in quo corpus Christi physicè & localiter est, & ipsum à circumscriptioe aliorum locorum: non autem excludit corpus Christi ab alijs simpliciter locis, quin possit in illis illocaliter adesse. Quod hoc loco circumscribitur, alio loco non circumscribitur: illocaliter tamen in eo adesse potest, si existentiam illocalem quoq; habeat. Circumscriptio verò interna non excludit corpus Christi ab alijs locis, sed ex alijs corporis finibus, & è finibus hujus corpora alia.

#### CX.

*Latius,* Quomodo, inquit, humanitas Christi divelli posset à Deitate, cum Deitas in omnibus locis sit, atq; sic etiam in assumpta humanitate

*Contra.*



CXI.

Contrà. Divulsio est duplex: Vnacui opponitur ἐδιδάσασσι; indistantia localis: quo modo divulsa sunt anima & corpus hominis vita defuncti, quorum illa in caelos translata, hoc in sepulchro conditum est. Altera, cui opponitur Vnio personalis, per quam illa, quae sunt unum personam, ubi vis sunt unam. Tam si humanitas Christi omnipraesens non esset, sed esset uno certo in loco, simpliciter quidem divulsa non esset ab omnipraesente λόγῳ, sicuti nec alia creatura, quae omnipraesentes non sunt: Divulsa tamen esset ab illo, quo ad Unitatem personae, quam cum ipso constituere non posset, nisi cum ipso omnipraesens, & ab ipso indivulsa simpliciter esset. Error τῶν ἀπὸ τῶν ὁμῶν μίαν.

CXII.

Quid verò? An sic in assumpta humanitate est Deitas, sicuti in alijs locis & creaturis? Hoc occupat Iodocus, scribens: aliter est in hac, quam in alijs creaturis: in hac enim sola est per inhabitationem personalem.

CXIII.

Rectè illud. Inde: Si in sola assumpta humanitate est Deitas per inhabitationem personalem, ergo haec assumpta natura non erit in uno solo loco, sicut alia creatura. At prius. Ergo posterius. Ratio connexi Quia inhabitatio Col. 2; illa talis est, per quam in ipsa tota divinitatis plenitudo inhabitet. Tota autem divinitatis plenitudo non potest in uno aliquo loco contineri. Quare nec illud, in quo σωματικῶς inhabitat.

CXIV.

Cernere autem hic licet tenuem Iodoci Minervam in explicando discrimine praesentiae Deitatis in assumpta natura & in rebus creatis alijs. Quarebatur: Quid interesset inter utranq;? respondet, inhabitationem personalem.

CXV.

Queritur jam porro de inhabitatione personali: quamobrem in nobis non inhabitet personaliter Deitas τῶν λόγων? Siquidem in nobis non solum ipsa sit, sed etiam persona τῶν λόγων, cuius ipsa est. Respondet: cur Deitas filij, quae tota etiam in nobis est sua essentia, nobiscum personam non efficiat, rectius intelligent illi, qui considerabunt nostras naturas non esse personaliter unitas.

CXVI.

At hoc est idem per idem explicare. Vbi enim quero; quamobrem in nobis non inhabitet personaliter Deitas, hoc ipsum quero; quamobrem nobis non sit personaliter unita, quamobrem nobiscum non efficiat personam? Nihil plus hoc, nihil plus illud.

Ratio.

CXVI.

Ratio autem vera exposita est modò ex Apostolo : quia in nobis non inhabitet tota plenitudine Deitatis suæ, quemadmodum in illa. Idcirco in nobis est ita, ut etiam sit extra : in illa vero est ita, ut nusquam sit extra. Aut si extra quoq; est, tota plenitudine non inhabitat : aut si inhabitat, in sanctis quoq; tota plenitudine Deitatis inhabitat. Quo pacto ruet discrimen, quod inde extruit Apostolus, ad discernendam existentiam Deitatis in Christo homine, ab illa, quæ est in sanctis.

CXVIII.

Responsionem suam Iodocus illustrat simili, lepidè sed miserè. Ut enim, scribit, ædificij tectum comprehendit ambitu suo & mensas & columnas, & tamen mensa non est pars ædificij, columna verò ædificij pars æstimatur propter copulationem : ita Deitas sua essentia complectitur quidem, & suam humanitatem & omnes creaturas, sed sola humanitas non etiam reliquæ creaturæ sunt ei personaliter unitæ.

CXIX.

De Antapodosi comparationis hujus modò est dictum ; dicendum nunc de protasi : quæ neq; cum Iodoci sententia, neq; cum veritate congruit. Dissimilitudo prima : quòd mensa non junguntur tectò ædificij. Afferendum erat simile, in quo unum aliquod duobus junctum, cum altero constitueret σύνολον aliquod peculiare : quemadmodum Divinitas τὸ λόγος tum in nobis tum in assumpta natura est, & tamen cum hac sola constituit personam.

CXX.

Secundò : Ædificij tectum nec totum, nec secundum aliquam sui partem est vel in columna vel in mensa. Divinitas verò tota est in nobis, tota & quidem totaliter tota in assumpta Humanitate.

CXXI.

Tertiò : Copulatio columnæ cum alijs partibus ædificij est accidentalis, per quam unum κατὰ σύνθεσιν constituitur. Talis nõ est unio personalis naturarum in Christo.

CXXII.

Hiscæ addit Umbilicum per connexum ἀπαγωγικόν : Si quis hanc responsionem repudiaverit, negaverit etiam Christi humanitatem, in τὰ πενόμεναι circumscriptam & finitam, fuisse Deitati infinitæ personaliter unitam.

CXXIII.

Contrà, Quasi verò hoc sit necesse. Circumscriptio & finitio non adversantur omnipresentiæ. Aliud qui dicit, quod dicit, probet. Eadem Humanitas

nitatis Christi, quae semper finita est, et in τὰ πρῶτα ἐστὶν, statu loco quoque circumscripta erat, nusquam non erat, ubi Deitas erat, ideoque nullibi διάσταιται, ne violaretur Hypostatica unio, quae omnem διάστασιν excludit. Error παρὰ τὸ ἐπόμενον.

#### CXXIV.

Sequitur syllogismus alius, de quo scribit: Hoc argumentum alio fuco illitum sic proponitur:

Λόγος five Deitas Christi est illocalis  
Humanitas Christi assumpta est in λόγῳ  
Ergo Humanitas Christi est illocalis.

#### CXXV.

Respondet: In hoc syllogismo sunt quatuor termini; nam in Majori est Λόγος: in Minori est res assumpta in λόγῳ.

#### CXXVI.

Αὐτὰ πόκις.

Quid ergo sentis de hoc syllogismo: Sigena est extra Hassiam. Iodocus est in Sigena. Ergo Iodocus est extra Hassiam? Quid item de isto: Currus igneus permeat aerem. Elias est in curru igneo. Ergo Elias permeat aerem. Dicimus nos Medium ita sumi in Majori, sicuti sumitur in Minore: quod fit, si Synecdoche ponatur in Majori, ut sensus sit, currus igneus permeat aerem: id est: Qui est in curru igneo, permeat aerem. Et sic: Λόγος est illocalis, id est, Assumptum in λόγῳ est illocale.

#### CXXVII.

Veruntamen, patiamur terminos quatuor in discursu hoc esse: negabimus esse syllogismum unum. Quid ergo? Est jam Enthymema cum prosyllogismo propositionis majoris omissa. Syllogismus integer sic habet: Quicquid est assumptum in λόγῳ, illud est illocale. Humanitas Christi assumpta est in λόγῳ. Ergo Humanitas Christi est illocalis. Pro hujus Majori ponitur ejus prosyllogismus: Λόγος est illocalis. Nam si Λόγος est illocalis: Ergo etiam quod in illum assumptum est, erit illocale. Λόγος enim non est locus: nec in λόγῳ locus est. Eaque argumentandi ratio est longè vulgatissima; ut mirum sit, homines, qui Roscū in hac arte videri cupiunt, hoc ungue se scabere.

#### CXXVIII.

Quocirca de fumodisceptat Iodocus, quando ne syllogismi leges, inquit, violentur, argumentum hoc modo formandum est: Λόγος est illocalis.

Humanitas Christi est illocalis.

D

Ergo

Ergo humanitas Christi est illocalis.

Sed, erumpit, in hoc argumento assumptio, ut falsissima negatur: Nam λόγος est Spiritus æternus, increatus, incorporeus, immortalis.

Atqui Humanitas Christi non est Spiritus æternus, increatus &c.

Ergo Humanitas Christi non est λόγος.

Quamobrem (Stomacharis Iodoce?) per βίαιον retorqueatur argumentum in Adversarios.

Quod in Christo illocale est, id λόγος est,

Atqui humanitas Christi non est λόγος,

Ergo Humanitas Christi non est illocalis.

CXXIX.

Ne savi tantopere. Non est talis propositio Major in argumento, qualem tu esse putabas, ut assumendum sit: Humanitas Christi est λόγος. Nec impetus syllogismi tui, per βίαιον retorsi, nos attingit. Vera est Major de eo tantum, quod illocale est κατὰ φύσιν: Simpliciter vera non est. Humanitas autem Christi etsi non sit illocalis κατὰ φύσιν, est tamen illocalis κατὰ ἐνωσιν.

CXXX.

De quo accipe hunc syllogismum.

Quicquid est in Christo, illud est illocale.

Atqui non solum ὁ λόγος, sed etiam Humanitas ejus est (personaliter videlicet) in Christo.

Ergo non solum ὁ λόγος, sed etiam Humanitas ejus est illocalis.

Propositio probatur:

Quicquid subsistit illocali subsistentia, illud est illocale.

Quicquid est in Christo, subsistit subsistentia illocali.

Ergo quicquid est in Christo est illocale.

Assumptum rursus probatur:

Quicquid subsistit subsistentiâ τῆς λόγου, subsistit subsistentiâ illocali.

Quicquid est in Christo subsistit subsistentiâ τῆς λόγου: ipse λόγος nimirum κατὰ φύσιν: κατὰ ἐνωσιν assumpta natura.

Ergo quicquid est in Christo subsistit subsistentiâ illocali.

CXXXI.

Secundò respondet per ἐνσάφιν. Quod si, ait, Syllogismus Vbiquitario- rum, quo concludunt, Humanitatem esse illocalem, benè concludit, negari:

negari non poterit, quin hic quoq; syllogismus bene concludat: quia  
par omnino observatur concludendi ratio.

Λόγος est æternus Spiritus, increatus, incorporeus, immortalis, in-  
visibilis, intaetilis.

Atqui Humanitas Christi assumpta est in λόγος.

Ergo Humanitas Christi est Spiritus æternus, increatus, incorpo-  
reus, immortalis, invisibilis, intaetilis.

### CXXXII.

ΑΥΤΑΠΟΚΡΙΣΙΣ.

**E**lenchus est parium. Etsi forma argumentationis non abluat, materia ta-  
men non convenit. Distinguendum est inter attributa, quibus ratio existen-  
tia continetur, & illa, quæ non ad existentiam propriè, sed ad essentiam perti-  
nent. Quæ distinctio, si philosophos audisti, inaudita tibi non erit. Illocalitas  
propriè ad existentiam pertinet. Tempus enim & locus, & ὡς κατὰ τόπον  
sunt conditiones existentia rerum creatarum. Eadem κατ' ἄρσιν sunt conditio-  
nes existentia increata. Hoc est. Res creatæ existunt in Tempore, Loco & ὡς.  
Deus verò extra Tempus, Locum, & ὡς. Illa verò, quæ syllogismo tuo inte-  
xis, pertinent ad essentiam.

### CXXXIII.

Deinde, quoniam datâ existentia & Hypostasi τὸς λόγος, non potuerunt  
non dari simul essentialia attributa, quæ sunt idem cum essentia, quæ est τὸ ἐν αὐτῷ  
idem cum Hypostasi; rursum distinguimus inter attributa illa, quæ habent respec-  
tum ad res creatas, & ἄντι ἀνυπόστατος de humanitate predicari possunt: ut  
sunt: Omnipotentia, δύναμις ζωοποιτικῆ, Omniscientia: & illa, quæ absoluta  
sunt à respectu tali, & non nisi ἀντιφατικῶς de ea dicerentur: qualia sunt ple-  
raq; quæ in argumento tuo enumerantur: omnia, si invisibile & intaetile ne-  
gant ipsam δύναμις τὸς ὡς κατὰ τόπον καὶ ἀπὸ τοῦ τόπου: quæ ea de re predicando ei non  
possunt tribui, nisi ἐμμέσως, ut dicas: Humanitatem aternâ omnipresentia  
esse omnipresentem.

### CXXXIV.

Vnde etiam apparet, propinquiori quadam ratione communicatam esse  
assumptæ naturæ illocalitatem, quàm alia attributa, quæ ad essentiam referuntur.  
Etenim quod primò est communicatum, est, ut in Concilio Toletano II. rectè est  
definitum, τὸς λόγος Hypostasis, cuius ad subsistentiam pertinet illocalitas: Se-  
cundò communicata est essentia: scilicet per Hypostasin: Tertio essentialia i-  
diomata: nempe per Hypostasin & essentiam.

D 2

RATIO

CXXXV.

RATIO QUINTA NOSTRA.

Quod est vivificum, id habet divinam proprietatem.  
Atqui caro Christi est vivifica.  
Ergo caro Christi habet divinam proprietatem.

CXXXVI.

Ad hoc argumentum multa respondet adversarius. Quae sigillatim excu-  
riemus. Praefatur: Assumptio totidem verbis in scriptura non legitur.  
Nam apud Evangelistam Iohannem, ex quo argumentum petitur;  
Christus dicit, se carnem suam dare pro mundi vita. Item, qui carnem  
suam ederit, habere vitam aeternam.

CXXXVII.

Contra. Totidem scripturae verba non est quod exigit, praesertim in  
argumentationibus, quas convenit esse rotundas, dummodo illud, quod dicitur,  
e verbis scripturae, demonstrari possit. Assumptionem vero nostram ἀδελφω-  
τικως demonstrant, praeter citata ab adversario, verba illa: Nisi manducave-  
ritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in-  
vobis. Item: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui man-  
ducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego  
resuscitabo eum in novissimo die. &c.

Iob. 6.  
vers. 52.  
vers. 53.  
vers. 54.

CXXXVIII.

Primò respondet: Carnem Christi manducatae vivificare, five vi-  
tam aeternam nobis dare, non ratione virium & qualitatum carni Chri-  
sti inhaerentium, sed ratione λύτης, meriti & mortis. Nam Christus  
moriendo mortem aeternam à nobis depulit, & impetravit vitam aeter-  
nam. Quae vivificatio vel vitae aeternae impetratio facta est in cruce,  
non in nobis, imo contigit nobis antequam nati essemus.

CXXXIX.

Contra. Carnem Christi vivificam esse ratione virium inhaerentium, ne-  
mo è nostris docet. Quorsum igitur ὑποφορὰ illa de viribus & qualitatibus  
inhaerentibus? Nostri dicunt, carnem Christi vivificam esse; quoniam, quod  
verbis D. Cyrilli eloquamur, cum vivificante verbo conjuncta, tota facta  
est vivifica, totam proprietatem illius, qui habitavit in illa possidens. Idem vult  
Anathematismus undecimus Concilij Ephesini. Breviter: Caro Christi est vi-  
vifica non per se, sed per virtutem τῆς λόγῃς, non quidem subjective carni inhae-  
rentem, sed tamen realiter ei communicatam.

lib. 4. in  
Iob. ca. 30

Contra



CXXX.

Contra hanc si dimicas, quod fieri necesse est, inscitè apponis illud de morte & λύτρω. Effectus enim efficiendi potentiam in efficiente, ut loquuntur, præsupponit. Perinde igitur differis, ac si quis solem neget lucidum, quia luceat; quum è converso, quia luceat, sol lucidus dici debeat. Et sic, quia Christus morte carnis suæ meritis nobis est vitam æternam, carnem ejus vivificandi vim habere, non negandum, sed dicendum est; vi ἀποδείξεσθαι, quam vocant, τὸ ὄτι.

CL.

Deinde non solum ratione λύτρω, sed etiam aliorum effectuum dicitur vivifica. Ut sunt, 1. Vivificatio eorum, qui sunt mortui in peccatis, 2. Suscitatio eorum, qui sunt vita defuncti, de qua Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Reginas: Suscitavit, inquit, Lazarum Christus Archisynagogi filiam & viduæ filiam. Iam quo pacto non vita secundum naturam est, qui non solum sermone repellere mortem potuit, sed etiam tactu manus? Erat enim consequens ac necessarium, vivificum esse corpus, quod erat proprium vitæ. Item lib. 4. in Iohan. cap. 13. Quoniam Salvatoris caro, Verbo Dei, quod naturaliter vita est, conjuncta, vivifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi conjuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa in exuscitandis mortuis non solum verbo atq; imperio ut Deus utebatur: verum etiam carnem suam, quasi cooperatricem, nonnunquam adhibebat, ut re ipsa ostenderet, carnem quoq; suam, quoniam sibi conjuncta est, vivificam esse, atq; fideles doceret suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagogæ principis filiulam suscitabat, manum ejus apprehendit, ut scribitur & erexit dicens: puella surge: ita ut Deus & verbo & carnis suæ & tactu eam excitârit, unam ab uno se Christo, Deo videlicet atq; Homine operationem producat.

CL I.

3. Egrotorum miraculosa sanatio; de qua idem lib. de incarnatione Unigeniti capite septimo: Verbum, inquit, communes facit, tanquam cum carne sua divinae majestatis suæ operationes, ut posset etiam vivificare mortuos & sanare in firmos.

CL II.

4. Rerum viventium, adeoq; omnium, quæ sunt, sustentatio, 5. Nutritio & consecratio corporum nostrorum in vitam æternam: de qua rursum Cyrillus in defensione Anathematismi II. contra Theodoretum scribit: scire opera precium est, quod, sicut supra diximus, proprium est corpus ejus Verbi, quod omnia vivificat. Quoniam autem est corpus vitæ, vivificum est. Nam per hoc mortalibus nostris corporibus largitur vitam & mortis imperium evacuat. Item, lib. 4 in Iohan.



22 Iohan. cap. 12. Dedit pro vita omnium corpus suum Dominus, & per illud rursus  
 23 sum vitam nobis immittit, & quomodo dicam breviter pro viribus meis. Nam  
 24 quum vivificans Dei filius in carne habitaverit, ad suum bonum eam, id est, ad  
 25 vitam reformavit, & totus (ut ita dicam) toti, ineffabili modo unionis conjun-  
 26 ctus, vivificantem ipsam effecit, quia natura vivificans est, propterea partici-  
 27 pantes hæc caro vivificat: eicit enim mortem ab ijs & interitum penitus ex-  
 28 pellit. Ibidem cap. 12. non verbo solum semper verum etiam tactu mortuos  
 29 excitabat, ut ostenderet, corpus quoque suum vivificare posse: quod si solo tactu  
 30 suo corrupta redintegrantur: quomodo non vivemus, qui carnem illam & ge-  
 31 stamus & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam  
 32 participes sui.

### CLIII.

6. Vita aeterna collatio. Hinc iterum Cyrillus lib. 3. in Iohan. cap. 37.  
 22 Quid Christus pollicetur? quid credentibus offert? Corruptibile certe nullum,  
 23 sed benedictionem, quam communicatione corporis & sanguinis Christi assequi-  
 24 mur: unde ad eam incorruptionem integrè reducemur, ut cibo & potu cor-  
 25 porali non indigeamus; vivificat enim corpus Christi, & ad incorruptionem  
 26 sui participatione reducit. Non enim alterius cujusdam, sed ipsius vitæ corpus  
 27 est, virtutem incarnati verbi retinens, & plenum potestate illius, quo univèrsa  
 28 & vivunt & sunt.

### CLIV.

Ex quibus colligimus: Quicquid vitam aeternam promereri, justitia Dei  
 infinita satisfacere, mortuos resuscitare, egrotos per miraculum sanare, res vi-  
 vente; sustentare, corpora nostra nutrire & ad vitam aeternam conservare,  
 & denique vitam aeternam conferre potuit, & potest, illud, necesse est, ut virtu-  
 tem divinam vivificandi habeat. Atqui caro Christi enumerata illa præstare  
 potuit & potest. Ergo necesse est, ut virtutem divinam vivificandi habeat.  
 Non autem ex se & in se: Ergo per gratiam Unionis cum λόγῳ.

### CLV.

Præterea: Omnis cibus habet δύναμιν alendi, & vitam sustentandi.  
 Corpus Christi est cibus. Ergo habet δύναμιν alendi & vitam sustentandi.  
 Assumptum probat illud Iohannis 6. Caro mea verè est cibus: & sanguis meus  
 verè est potus. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me  
 manet & ego in illo.

### CLVI.

Porro quicquid habet vim alendi & sustentandi ad vitam aeternam, id  
 habet δύναμιν vivificandi divinam. Atqui caro Christi, quæ non est cibus na-  
 turalis,



turalis, quo corporis vita sustinetur, habet vim sustentandi ad vitam æternam.  
Caro Christi igitur habet virtutem vivificandi divinam.

CLVII.

Item: Quicquid fide manducatur, id habet vim vivificandi divinam.  
Caro Christi fide manducatur: Calvinianis minime dissentientibus.  
Ergo caro Christi habet vim vivificandi divinam.

CLVIII.

Caterum quod de merito & morte dixerat Iodocus, probat: Quod  
inquiens, caro Christi vitam æternam det, non vi inlita & inhærente  
carni, sed merito & morte sua, docet Christus perspicue hisce verbis,  
Iohan. 6. vers. 51. panis, quem ego dabo pro mundi vita.

CLIX.

Contrà: Nihil amplius inde efficitur, quàm carnem Christi vivificam di-  
ci respectu λόγος: (de quo assentimur) non istud, quòd tantum respectu λόγος  
sic dicatur.

CLX.

Quamquam ipsum λόγος quoque per se idoneum sit medium ad probandū  
institutum nostrum; ut repetere hic libeat, quod inter alia paulò antè dicebatur:

Quicquid infinitæ justitiæ divinæ satisfacere, onus infinitum iræ divinæ  
sufferre, vitam æternam promereri potuit, illud necesse est vim vivificandi infi-  
nitam, ideoque divinam habuisse.

Atqui caro Christi mortis suæ λόγος infinitæ divinæ justitiæ satisfecit, o-  
nus infinitum iræ divinæ sustulit, vitam æternam promerita est.

Ergo necesse est carnem Christi vim vivificandi infinitam, ideoque divinam  
habuisse. Cum autem ex se non habuerit, sequitur ut ex unione.

CLXI.

Sed hoc Iodocus extenuat, scribens secundò: Carnem Christi fuisse à  
λόγος adjunctam & sustentatam, Verba ejus hæc sunt: Hic notandum est  
carnem Christi, non solam, sed à Deitate adjunctam istam æternam vitam  
impetrasse. Nam caro Christi sola, quippe finita & finitis viribus præ-  
dita, non potuisset infinitum onus iræ divinæ gestare ac sufferre, nisi  
fuisset sustentata à λόγος, ab infinita illa potentia. &c.

CLXII.

Contrà, si sustentatio simpliciter Carni potuit sufficere, ut immensam Dei  
inclementiam perferret & λόγος immensi valoris solveret, non fuit, cur λό-  
γος ipse incarnaretur. Potuisset enim aliquem sanctissimorum hominum su-  
stentare hoc modo. Iam verò λόγος iccirco fuit incarnatus, ut inclementia  
Dei immensa perferretur in carne, & per eandem immensi valoris λόγος sol-  
veretur. Ex quo sequitur, sustentationem simpliciter non potuisse sufficere car-  
ni.

CLXIII.

Non potuit mors infiniti valoris esse, qua moriebatur caro, quæ simpliciter sustentabatur à λόγῳ, sed qua moriebatur caro, quam λόγῳ per suam ipsius δύναμιν ζωοποιτικῶς vivificam reddebat, ut morte ejus vivificaretur mundus.

CLXIV.

Quemadmodum enim oculus videre non potest, nisi δύναμιν ὀπτικῶς ipsius animæ propriam κατὰ συνδύνασιν accipiat, per quam efficitur habilis ad ejusmodi functionem: ita nulla creatura potuit vitam æternam promereri & morte sua justitiæ divinæ satisfacere, nisi quæ assumebatur in λόγον, qui δύναμιν ζωοποιτικῶς suam communicando ad tantum opus eam instruebat.

CLXV.

Tertiò urget: Carnem Christi dici vivificam ratione λόγῳ meriti & mortis, Christus, inquit, loquitur de ea vivificatione, quæ etiam pijs veteris Testamenti contigit: Nam expressè dicit, eos vitam æternam non habituros, qui ipsius carnem non edant. Constat autem, fideles veteris Testamenti habere vitam æternam: non itaq; dubitandum est, etiam eos carnem Christi manducasse, sicq; consecutos esse vitam æternam.

CLXVI.

Ut in veteri Testamento caro Christi vivificavit pios, vel ijs vitam æternam dedit: ita etiam nunc eadem in novo Testamento vivificat, & æternam dat vitam.

Atqui caro Christi in veteri Testamento vivificavit solo λόγῳ, merito & morte futura, non virtute carni inhaerente.

Ergo eadem etiam in novo Testamento vivificat ratione λόγῳ meriti & mortis, non ratione virtutis inhaerentis.

CLXVII.

Contrà. Major syllogismi vera est inclusivè: falsa exclusivè: eademq; ratione & conclusio. Utiq; caro Christi in novo Testamento vivificat ratione λόγῳ meriti & mortis, sicuti in veteri Testamento, sed non tantùm. Præterquam enim quod in novo Testamento vivificat ratione λόγῳ, qua ratione in veteri Testamento quoq; vivificabat; vivificat aliorum quoq; effectuum ratione, quos supra recensuimus.

CLXVIII.

Assumptum, quod largimur, probat: Quia enim tum non fuit, per ipsam vitam conferri nō potuit, ut hac ratione vivificasse eos dici possit. Verba ejus sunt: Quod

Quod si ad vitam æternam dandam actualis & p̄sens ἐνεργεια, ac vis carnis vivificatricis requireretur, nemo veterum vitam æternam consecutus esset, quippe quorum temporibus caro Christi nondum extiterit. Cæterum in omni salvando duo requiruntur, unum, ut liberetur à morte æterna, id est, ab æterna damnatione, alterum, ut mortuus in peccatis vivificetur: Prius Christus præstitit moriendo, alterum præstitit & præstat efficaciter operando. In veteri Testamento virtute futuri sacrificij à fidelibus mors & damnatio æterna fuit profligata: valore ejusdem victimæ gratia Dei, & Spiritus sanctus est impetratus, per quem fideles sunt vivificati, & ad novam sanctamq; vitam renovati.

CLXIX.

*Majorem expolit, scriptitans*: Ut in veteri Testamento pij vivificati vel in novam vitam renovati sunt, nō virtute carnis Christi, quæ nondum extitit, sed efficacia Deitatis & Spiritus sancti, propter sacrificium Christi futurum à patre dati: ita etiam in novo Testamento renovamur ad imaginem Dei, & vitæ novitatem, non virtute carni Christi in hærente, sed ἐνεργεια & operatione Deitatis ac Spiritus sancti, per carnem filij Dei mactatam acquisiti.

CLXX.

*In expolitione nihil desideramus, nisi bonam mentem, quæ in Iodoco non inest. Verum est: Nos virtute carnis Christi in hærente non renovari. Verum quoq; est: Nos ἐνεργεια Deitatis ac Spiritus sancti renovari. Falsum autem est, quod sentit Iodocus: Nos ἐνεργεια Deitatis ita renovari, ut ἐνεργεια ὁ δὲ ἄλλος illa renovandi non communicetur assumptæ naturæ, quò ὅ ἡ ipsa renovet. Quam sententiam, quum validis rationibus non astruatur, merito explo- dimus.*

CLXXI.

*Quartò negat carnem Christi vim vivificandi infinitam habere: Si, inquiens, in carne Christi fuisset divina & infinita vivificandi vis, non potuisset ea ab ulla finita potentia superari & occidi. Atqui fuit caro Christi occisa. Unde sequitur, eam vitæ vim non fuisse infinitam & divinam.*

CLXXII.

*Contrà. Negatur consecutio propositionis. Siquidem, ut non superata & occisa fuisset caro Christi, necesse fuisset, exerere vim suam vivificandi infinitam. Quam cum non exeruit, etiamsi habuerit eam, superari & occidi potuit. Vide supra Rationem adversarij quartam.*

CLXXIII.

*Quintò idem alio argumento urget: Profectò, inquiens, in quo omnes vitæ vires extinctæ sunt, in eo non potest esse vita, & per consequens id alios vi in hærente vivificare non potest.*

E

Atqui

Atqui in carne Christi occisa & sepulta omnis vis vitæ extincta est; Ergo in ea mortua non fuit vita, & per consequens tum alios virtute inhaerente vivificare non potuisset. Quod si vis vivificandi pios carni Christi inclusa est, quomodo mortua Ecclesiam vivificavit, & in vita spirituali conservavit?

CLXXIV.

Contrà. De vi vivifica inhaerente non est ἀμφοιβήτησις. Sin verò eodem argumento vim vivificam divinitatis, realiter carni communicatam, tollere cogitas; distinguimus inter vitam carnis Christi naturalem, & vitam τῷ λόγῳ propriam. In carne Christi mortua extincta fuerunt omnes vires vitæ naturalis. Remansit autem vita τῷ λόγῳ propria. Hæc si sublata fuisset, vivificandi quoq; divina facultas à carne Christi sublata fuisset. Remanente autem ipsa, caro Christi retinuit istam vivificandi δύναμιν, licet vita naturalis, quæ vivificationem divinam illam non ingreditur, sublata esset.

CLXXV.

Porrò si retinuit, nihil jam obstat, quo minus mortua Ecclesiam vivificasse dici possit. Siquidem & mortua esse potuit, adeoq; fuit instrumentum τῷ λόγῳ, omnia per ipsam vivificantis.

CLXXVI.

Sextò argumentatur: Ejus vi & virtute nos vivificamur, cujus operatione humana Christi natura mortua, vivificata fuit & in vitam revocata.

Atqui caro Christi sepulta sola Deitatis virtute & ἐνεργείᾳ fuit vivificata. Rom. 1. vers. 4. 1. Pet. 3. vers. 18. Rom. 8. vers. 11.

Ergo etiam nos sola virtute Deitatis Christi in vitam revocamur. Frustra igitur de virtute carni Christi inhaerente, qua vivificemur, differitur.

CLXXVII.

Contrà. Omnino frustra de virtute inhaerente differitur, quum nemo asserat. Argumentum verò concedimus. Quippe virtus illa, per quam caro Christi vivificata fuit, & nos porrò vivificat, non est carnis virtus, sed Deitatis solius virtus, carni realiter per Unionem communicata.

CLXXVIII.

Quod si quis hic quærat: An caro seipsam communicatâ hac virtute vivificavit? Quoniam illa vivificationis ἐνεργεία inter illa, quibus persona Christi constat, versabatur, nempe λόγον & carnem, quorum ille agens, hæc patiens fuit, rectius hæc dicitur vivificata esse, quam vivificasse. Thomas respondet: cum per mortem Christi divinitas non fuerit separata nec ab Anima Christi, nec ab ejus carne, necessario sequi, quod corpus resumferit Animam, quam depo-

deposuerat: & quod Anima resumeret corpus, quod dimiserat, non quidem secundum virtutem naturalem vel corporis vel animæ Christi, sed secundum divinitatis virtutem, à qua virtute corpus & anima Christi per mortem non fuerunt separata.

CLXXIX.

Nos negamus consecrarium esse; si δ λόγος vivificavit carnem suam citra carnem: Ergo etiam nos citra carnem suam vivificat. Etenim inter λόγος vivificantem & carnem vivificandam non intercedebat caro: at inter λόγος & res creatas alias omnes intercedit. Illic subiectum recipiens erat ipsum vivificationis ὄργανον, & pars (ut cum veteribus sic appellem) personæ Christi; non verò hic item.

CLXXX.

Quemadmodum igitur in Trinitate operationes ad intra, quæ terminantur ad personas, ideoque divisæ sunt, non obstant, quò minus operationes ad extra sint indivisæ, & personis omnibus communes: (Pater per filium omnia operatur, solus tamen Pater gignit filium) ita in persona Christi licet operationes illæ, quæ terminantur ad naturam (ut sunt assumere humanam naturam, communicare ei suam h. post se, glorificare eam, vivificare eam) soli λόγος tribuantur, nihil impedit, quin operationes ad extra, quæ spectant creaturas, extra personam Christi positas, utriusque tribuantur naturæ; licet non pari modo.

CLXXXI.

Addit septimum: Si caro Christi esset vivifica non respectu meriti, sed efficaciam, sequeretur carnem Christi renovare hominis mentem & voluntatem, noticiam Dei, fiduciam Dei & serviendi promptitudinem illis inferendo. At hoc non: Quo enim quis caret, hoc alteri tribuere non potest. Caro autem intelligendi & volendi facultate destituitur. Ergo nec illud.

CLXXXII

Verba adversarij sunt: Si adversarij per vivificationem non meritum, sed efficaciam Christi intelligant: ea nihil aliud est, quàm regeneratio sive renovatio interni hominis, ubi oculi mentis extincti vivificantur & illuminantur, ut intueri possint Deum patrem Iesum Christum & vitæ æternæ viam, ubi itidem voluntati implantatur fiducia in Deo acquiescens & promptitudo serviendi Deo & proximo. Quis verò hanc ἐνεργεωσιν carni Christi tribueret? Constat siquidem, intelligendi & volendi facultatem non inesse ossibus & nervis carnis Christi, sed spiritui tum increato, tum creato. Quamobrem quo quis caret, hoc al-

teri tribuere non potest : Atqui caro Christi intelligendi & volendi facultate destituitur. Ad quid ergo multum disceptatur de vi vivifica, Carnis Christi substantiæ inherente.

CLXXXIII.

Contrà. Per vivificationem meritum Christi intelligendum haud negamus : id solum intelligendum, ut non semel dictum, inficiamur. Ad argumentum : Primus error est πᾶσα τὴν ὁμοιωμίων, Carnis enim vocabulo designatur integra Humana natura, in propositione hac : Caro Christi est vivifica : sicuti in illa : Verbum Caro factum est. Iodocus verò intelligit alteram Humanæ naturæ partem tantum, quod est Corpus.

CLXXXIV.

Secundus error est πᾶσα τὸ ἐπόμενον. Distinguendum enim inter operationes vivificæ facultatis, quas λόγος per humanam naturam suam perficit : quarum aliæ Carni Christi, quam Iodocus intelligit, alteri nimirum Humanitatis parti, tribui possunt, aliæ non perinde, quia implicarent ἀντιφασίαν. Illius generis sunt, pati, mori pro totius mundi peccatis : resuscitare mortuos, sanare egrotos : hujus illuminare mentes, convertere voluntates hominum ad servendum Deo. Etsi enim hæ ἐνέσθαι quoque per carnem à Divinitate profiscantur, carni tamen perinde non tribuuntur : quemadmodum eadem anima in cerebro & imaginatur, & intelligit, nec tamen cerebrum potest dici intelligere, quemadmodum dicitur imaginari.

CLXXXV.

Tertius error : Non sequitur : Facultas intelligendi & volendi carni Christi non inest. Ergo Caro Christi non potest eam tribuere alijs. Etiam si enim caro Christi ipsa nec intelligat, nec velit formaliter, ut loquuntur, nihilominus tamen potest habere virtutem, per quam intelligere & velle faciat alia, quæ ad intelligendum & volendum sunt ἐπιτίθετα. Quippè aliud est agens univocum : ut quando ignis calidus calidam facit aquam : aliud æquivocum : ut quando Sol, qui formaliter non est calidus, virtualiter tamen terram reddit calidam. Majorem itaque in prosyllogismo sic explicamus : Quod quis non habet nec formaliter, nec in virtute, hoc alteri tribuere non potest.

CLXXXVI.

RATIO SEXTA.

Quod ideo ascendit in cœlos, ut omnia impleret, id finitum & visibile dicendum non est.

Atqui Humanitas Christi in cœlos ideo ascendit, ut omnia impleret. Eph. 4. Ergo

Ergo Humanitas Christi non est dicenda finita & vi-  
sibilis.

CLXXXVII.

*Respondet*: Quod implet omnia sua videlicet essentia,  
id profecto non posse dici finitum & invisibile. 2. Christum  
omnia implere donis suis, quæ in membra omnia effuderit:  
*eamque interpretationem probat è textu*, in quo Apostolus de-  
hortetur fideles à contentione & discordia; argumento,  
quia Christus ideò descenderit, ut impetraret Spiritum san-  
ctum, per quem in unum corpus coalescerent, 3. Quia caro  
Christi ubiq; fuerit ante ascensionem; ascensionem igitur  
non posse ubiquitatis causam constitui, 4. Carnem Christi,  
quia in ascensione ex loco in locum migravit, non fuisse fa-  
ctam infinitam.

CLXXXVIII.

*Αὐτὸς πᾶσι*.

*Contra*. Iodocus luctatur cum larvis. Argumentum illud prodijt ex offici-  
na Iodoci: non autem veritatis, quam nostri tuentur, qui corporis Christi  
infinitatem, quæ argumento isto astruitur, ignorant. Quocirca non attinet nos,  
si quid respondet de corpore infinito. Nisi quod non simpliciter verum est, quod  
ab illo dicitur: Quod omnia implet suâ essentiâ, id non posse dici finitum.  
Verum hoc est de eo, cui essentia in causa est, ut impleat omnia: nempe Deo:  
non autem de eo, cui non essentia, sed unio cum Deo in causa est, ut essentia ejus  
sit ubiq;: nempe Humanitati Christi.

CLXXXIX.

Argumentum autem nostrorum hanc serè in modum proponi solet:  
Quod ideò ascendit in cælos, ut omnia impleret, id est omnia  
præfens.

At qui Humanitas Christi in cælos ideò ascendit, ut omnia  
impleret.

Ergo Humanitas Christi est omnipræfens.

CXC.

Nunc si respondeat adversarius: Humanitatē Christi non implere omnia  
essentia sua, sed Christum implere omnia donis suis: de priori modò diximus:  
E 3 3 quomodo

quomodo videlicet Humanitas Christi essentiã suã impleat omnia, & quomodo non impleat.

### CXCI.

De altero: Non negamus agi in illo Pauli capite de donis in Ecclesiam effusis: attamen hac textus particulã, quã ascensum Christi & impletionem memorat, impletionem per dona tantum intelligendam non concedimus. Primò enim scopus Apostoli est, ut declaret, undè Christus habeat, ut gratiam unicuique secundum mensuram donet. Affert ascensum. At qui non ex ascensu simpliciter obtinere potuit Christus, ut gratiam donaret, siquidem Helias quoque ascendit, nec tamen gratiam donare potest. sed ex ascensu tali, per quem consecutus fuit, ut impleret omnia. Etsi igitur prius nusquam non erat, ubi erat λόγος, in quo erat, non tamen replebat omnia. Non aderat creaturis generali presentia, quã definitur sustentatione rerum generali; ideoque nec speciali Ecclesie, ut χαρισμασι suis illam ornasset. Quibus verò nunc eam ornat, postquam ascendit in cælos ad majestatem illam, in qua non solum Ecclesie, sed omnibus omnino rebus sit presentis.

### CXCII.

Secundò. Quia Apostolus utitur ἀγοίςωε Universalis (omnia) & nudè vocabulo implendi: non dicit, ut impleret Ecclesiam: vel, ut impleret donis: Sed docet, per ascensum suum Christum hoc esse consecutum, ut non solum dederit dona hominibus, membris suis: sed etiam (αὐξυλκωε) ut omnia adimpleret.

### CXCIII.

Tertiò ostendit hoc descriptio ascensus, quo Paulus Christum dicit ascendisse ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Quã descriptio insinuat talem impletionem, quã respondet Generali Dei presentia. Generalis enim Dei presentia est, per quam non solum implet omnia, sed etiam ita implet, ut contineat omnia. Ita hoc loco Christus quoque dicitur implere omnia: idemque continere omnia intelligitur ex eo, quod dicitur ascendisse supra omnes cælos. Ita igitur est in cælis, ita implet cælos, ut simul sit extra cælos, supra cælos, & ut cælos, quos implet, contineat.

### CXCIV.

Quartò idem manifestum est ex alijs scripturæ locis, in quibus impletio illa exponitur, ut per quam dominetur à mari ad mare, gubernet non solum Ecclesiam, sed dominetur etiam in medio inimicorum, possideat terminos terræ, constitutus super opera manuum Dei &c. Quæ omnia, quando de Deo dicuntur, generalem ejus presentiam describunt, secundum quam res omnes enter, presententer, potenter gubernat.

Postremò



CXCV.

Postremò in Iodocum responsionem suam retorqueo. Si Christus secundum Humanitatem, postquam ascendit super omnes cælos, accepit hanc majestatem, ut donis posset implere Ecclesiam, accepit hanc majestatem, ut impleret omninò omnia.

Verum est Antecedens.

De consequentis igitur veritate non est dubitandum.

CXCVI.

Consecutio probatur: Quia est eadem divina majestas, per quam Spiritus sanctus & ἁγία πνεύμα, quibus specialis Dei presentia definitur, effunduntur: & per quam res omnes omnipresente & omnipotente à Deo gubernantur.

CXCVII.

Assumptum probatur. I. Quia ubi Paulus dicit: Ascendit in altum, & dedit dona hominibus: ibi Regius Psaltes inquit: Accepisti dona hominibus. Christus verò secundum divinitatem in tempore accipere nil potuit. Quod igitur accepit, accepit quia homo est.

CXCVIII.

Quod si effusionem ἁγία πνεύμα ad divinitatem referre volueris, habet interpretatio, quæ non nisi talis esse potest: Ascendit secundum humanitatem, ut secundum divinitatem omnia adimpleret. Quasi verò Deitas dona effundere non potuisset, nisi per ascensum humanitatis impetratam hoc illi fuisset. ἄδιόλογον.

CXCIX.

Quamobrem meritò contendimus: Impletionem, de qua Paulus loquitur, non de impletione Ecclesie per dona, sed de tali impletionem, quæ congruat modo presentie generalis Dei, intelligendam esse. Nec aliud è contextu demonstrare potest Iodocus.

CC.

Ad tertium respondemus per distinctionem. Unio Hypostatica est causa omnipresentie, quæ Caro Christi in statu exinanitionis nullibi absuit, ubi fuit λόγος. Ascensio verò seu potius exaltatio est causa Omnipresentie, quæ jam in statu exaltationis creaturis quoque presentis est, eas continendo, conservando, regendo: secundum modum presentie generalis Dei.

CCI.

Etsi igitur caro Christi in statu exinanitionis esset ubique presentis τὸν λόγον; quia unita erat ubique presenti λόγῳ: non tamen presentis erat creaturis: quia nondum exaltata erat. Qui diversi presentie modi, cum temporibus distincti fuerint, quid mirum, causas quoque eorum temporibus fuisse distinctas?

Nuspianus

CCII.

Nuppiam autem, quod Iodocus hic ingerit, effectus fuit ante causam. Effectus exaltationis non fuit ante exaltationem. Siquidem non simpliciter Omnipresentia, effectus exaltationis est: sed omnipresentia quæ est ἐνεργητικὴ ἔαρχικὴ.

CCIII.

De quarto non laboramus. Non enim ferit nos: Infinitum de loco in locum non migrare: assentimur. At nec carnem Christi fuisse factam infinitam, sentimus. Quod sat scis Iodoce, nisi sciens nescis.

CCIV.

Occupat: Ajunt, dicens, adversarij Christum ivisse ad patrem, qui in omnibus locis sit. At, respondet, etsi Pater in omnibus locis sua essentia est, præcipuè tamen in cælo, in loco beatorum sanctis angelis & hominibus suam ostendit majestatem & bonitatem. Ideo Christus ad Patrem iturus, sursum profectus est, ex terra elevatus per nubem: & quorsum Elias in cælum translatus abiit? num deorsum, an dextrorsum? Profectò pallij dejectio manifestè docet, eum ex inferiori parte in altum esse elevatum. Quis ignorat nos etiam ad Patrem ituros esse? Vult enim Christus, ut ubi ipse sit, nos quoq; ejus ministri simus, Ioh. 14. vers. 3. & 17. vers. 24. Et Paulus dicit, nos semper cum Domino futuros, 1. Thess. 17. Quorsum autem nos venturi sumus? Nonne sursum rapiemur Domino in occursum? 1. Thess. 4. vers. 17.

CCV.

Argumentum hoc D. Lutheri est in explicatione capitis decimi septimi Iohannis. Ad quod in verbis recitatis duo respondet adversarius. Unum: Patrem, qui ubiq; est, tamen ratione gloriosæ præsentia esse in cælo, quod sursum esse probat argumento sumpto ab ascensu Christi, Elia, & nostro in die novissimo, quando sursum rapiemur Domino in occursum. Et eò Christum ad Patrem ivisse. Alterum: nos quoq; ad Patrem ituros esse: quia Christus velit nos esse secum.

CCVI.

Contra. Committitur error παρὰ τὸ σῆμα τῆς λέξεως. Quippè ire ad Patrem in locis illis, è quibus depromitur argumentum, non significat ascendere eò tantum, ubi Deus se à facie ad faciem beatis angelis & hominibus est ostensurus, sed ascendere usq; in thronum Patris & ad dextram Dei, & in illa consistere. Hæc enim proprie est ὑπερψωσις carnis Christi, quæ opponitur ταπεινώσει ejus. Etsi igitur nos quoq; ad Patrem venturi sumus, ascendendo eò, ubi beatâ præsentia electis adest; non tamen venturi sumus, sicuti Christus itione sua venit, usq; in thronum Patris, & ad confessum in dextera Dei. Ad quem enim angelorum dixit unquam, sede à dextris meis? Heb. 1. vers. 13.

Que

CCVII.

*Quae dissimilitudo facit, ut parum scite jubeat adversarius inter se conferri haec duo argumenta:*

Deus est ubiq;  
Christus secundum Humanitatem ivit ad Deum  
Ergo Christus secundum humanitatem est ubiq;  
Christus est ubiq;  
Nos ituri sumus ad Christum,  
Ergo nos futuri sumus ubiq;.

Et

CCVIII.

*Quamvis enim forma utrobique sit eadem, non tamen eadem est ratio materiae, itionis videlicet Christi, qua ipse ivit, & in summam sublimitatem ad dexteram Dei evectus est: & itionis, qua ituri nos sumus, visuri Deum & Agnum in throno sedentem.*

CCIX.

*Adde quod argumentatio illa est Enthymematica: in qua loco propositionis omissae ponitur ejus probatio. Syllogismus integer hic foret:*

*Quicumque ivit ad Patrem sic, ut confederit ad dextram Patris, is est ubiq;.*

*Christus secundum humanitatem illo modo ivit ad Patrem,  
Ergo Christus secundum humanitatem est ubiq;.*

*Propositio probatur: Quia Pater est ubiq;, & dextera ejus. Nunc si ita vis, iisdem legibus confer argumentum tuum, si nondum vides, quid inter sit inter utrumque.*

CCX.

RATIO SEPTIMA NOSTRA.

Dextera Dei est ubiq;  
Humanitas Christi sedet ad dextram Dei.  
Ergo Humanitas Christi est ubiq;.

CCXI.

*Respondet: Sunt quatuor termini: quia aliud est esse dextram Dei, aliud sedere ad dextram Dei,*

CCXII.

*ΑΥΤΑΠΟΚΡΙΣΙΣ.*

*Quam tu syllogismorum scabrosus es Aristarchus? Similis est syllogismus hic illi, de quo supra in thesib. 123, 124, 125, 126. Ne vitiligare pergas.*

F

Non



Non dederint illi syllogismum, sed rursus Enthymema cum propositionis omis-  
sa prosyllogismo: more bene disputantium perquam recepto. Mavis inte-  
grum & promos nos experiaris: talis est:

Quicquid sedet ad dextram Dei, illud est ubiq;

Humanitas Christi sedet ad dexteram Dei.

Ergo Humanitas Christi est ubiq;

Ratio propositionis: Quia dextra Dei est ubiq;

CCXIII.

Frustra igitur laboras, ut Argumentum nostrum ab errore asseras. Fru-  
stra scribis: Syllogismus à vitijs assertus sic formandus erat.

Dextra Dei est ubiq;

Humanitas Christi est dextra Dei.

Ergo Humanitas Christi est ubiq;

CCXIV.

In quo, rursus frustra, licet non falso, ais, syllogismo assumptio verif-  
simè negatur. Nam Dextra Dei est æterna, invisibilis, increata.

Atqui Humanitas Christi non est æterna, invisibilis, increata.

Ergo Humanitas Christi non est dextra Dei.

Assertionem igitur tuam tibi habe & frueri: nostram verò sine obsecro,  
ut incolumis (quod dici solet) redeat.

CCXV.

Sed tu, quasi territ asses cælum, aliud involas. Instant, inquis, Ubiqui-  
tatis Patroni (sic asseclas Lutheri contemptum vocas: illi non magis curant,  
quàm testudo muscas) Qui regit subiectos, illum oportet hisce præsentem  
esse.

Atqui Humanitas Christi sedendo ad dextram Dei regit omnes  
creaturas subiectas.

Ergo humanitatem Christi præsentem omnibus creaturis esse o-  
portet.

CCXVI.

Ad utranq; præmissarum respondes. Majorem nego, dicis; quia non  
necesse est Regem singulis subiectis præsentem esse, satis est, si habeat  
ministros, qui illis præsentem sunt. Sic non necesse est humanitatem  
Christi singulis creaturis præsentem esse, satis est, quòd personaliter  
adjunctam sibi habet Deitatem, per quam omnibus illis præsens est.

Contrà.

CCXVII.

Contrà. Exceptio hæc, satis esse, si habeant ministros, frivola est. Si quidem propositio Major, quam infringere debet, non ἀπὸ τοῦδε de omni regente loquitur, sed de eo, qui regit secundum modum dextræ Dei, κατ' ἐξουσίαν καὶ δυνάμιν regendi divinam. Unde si pressius explicetur, sic habebit: Quicumque regit subjectos κατ' ἐξουσίαν καὶ δυνάμιν divinam, illum oportet hisce præsentem esse.

CCXVIII.

Idcirco, quod respondetur, sic retorquemus: Qui regit subjectos, illum oportet hisce præsentem esse, vel per se, vel si præsens ipse esse non possit, per ministros præsentem. Humanitas Christi omnes creaturas subjectas regit. Ergo Humanitatem Christi oportet esse præsentem omnibus creaturis, vel per se, vel, si ipsa præsens esse non possit, per ministros suos. Non autem per ministros. Ergo per se.

CCXIX.

Assumptum disiuncti probatur: si per ministros Humana natura præsens est & dominatur, ministri hi fuerint vel res creata, vel increata Deitas. At neque res creata possunt esse ministri, neque increata Deitas. Non illa, quia gubernatio omnium rerum est ἀποτέλεσμα solius personæ Christi: ut ad societatem ejus nulla admitatur creatura. Non hæc: quia impium est facere Deitatem ministram humanitatis, cum hæc sit ministra seu ὄργανον illius: ut supra dictum est. Non igitur per ministros.

CCXX.

Nec est, quod dicas: Humanitatem regere per Deitatem se superiorem. Absurdè hoc dicitur. Inferius non regit per superius: sed superius per inferius. Nam quicquid regit per aliud, ab illo regendi auctoritatem habet hoc. Non autem regendi auctoritatem habet ab Humanitate Divinitas. Non igitur Humanitas potest dici regere per Deitatem: Sed Deitas per humanitatem. Hæc enim ab illa regendi ἐξουσίαν καὶ δυνάμιν habet.

CCXXI.

Item: Quicquid regit inferius, illud rectè tribuitur superiori: non autem quod regit superius, rectè tribuitur inferiori. Rectè Augustus Cæsar dicitur imperasse Iudææ, quam regebat Herodes, Vasallus ejus: non autem Herodes poterat dici regere Ægyptum, quam Augustus regebat: quia hic superior: ille inferior. Quod si igitur Divinitas superior est Humanitate, & verò Divinitas regebat præsens res omnes: Humanitas verò illas, quibus ipsa præsens erat, non autem omnes: Humanitas res creatas omnes regere, nisi αὐσαύτως, non potest dici.

CCXXII.

Rursum: Quicquid res omnes regit κατ' ἐξουσίαν καὶ δυνάμιν regendi divinam, illud non oportet esse præsens per ministros. Humana natura Christi, ut

supra in defensione rationis primæ nostræ ostensum est, regit κατ' ἐξουσίαν καὶ  
δύναμιν regendi divinam. Ergo Humanam Christi naturam non oportet præ-  
sentem esse per ministros. Vera est Major: 1. quia Deus non est præsens per  
ministros. 2. Quia illa necessitas, qua quem oportet esse præsentem per mini-  
stros, ἀδυναμίαν impotentiam notat, quæ cum πάσῃ δυνάμει consistere non  
potest.

CCXXIII.

Postremò: Quicquid sedet ad dexteram Dei, illud non oportet esse præ-  
sens per ministros. Humanitas Christi sedet ad dexteram Dei. Ergò non oportet  
illam esse præsentem per ministros. Ratio propositionis est: quia ipsummet  
rebus subiectis est præsens. Dexteræ enim Dei non est thronus aliquis localis,  
qualis est thronus Imperatoris Turcici, qui quam diu sedet in throno suo, Con-  
stantinopoli est, non verò in Hungaria: sed est thronus illocalis, supra omnia,  
ultra omnia, extra omnia, intra omnia positus, in quo Humanitas Christi collo-  
cata, insajam quoq; supra omnia, ultra omnia, extra omnia, intra omnia non po-  
test non esse constituta.

CCXXIV.

E quibus obvium est, quomodo consideranda sint sequentia verba:  
Quemadmodum, inquis, in reliquis Mediatoris officijs perficiendis in  
hunc finem humanitati Deitas adjuncta & personaliter copulata est, ut  
quod Humanitas præstare non potuit, per Deitatem perageretur: ita  
etiam Christus in regimine & imperio propter eundem finem Deitatem  
humanitati personaliter unitam, ut per Deitatem exequatur, quæ per  
carnem perficere non possit.

CCXXV.

Sic enim habendum: ἀπολύτρωσις finis Unionis internus est: sicuti sa-  
lus hominum externus. Nam quia ὁ λόγος, redempturus genus humanum,  
redemptionem hanc, quod moriendum esset, per se non potuit perficere, requi-  
rebatur, ut assumeret & adjungeret sibi humanam naturam mortalem, in qua,  
cum qua & per quam eam perficeret. Porro cum modus unionis sit multiplex,  
& Deus præstare sæpè dicatur, quod efficit per homines (ut miracula) causa, cur  
personaliter sibi Humanitatem uniret, erat hujus indigentia. In se enim non erat  
idonea ulla creatura, ut per eam ἀπολύτρωσιν hanc ὁ λόγος præstare potuisset.  
Ut ergo fieret idonea, opus erat, ut fieret particeps δυνάμεων τοῦ λόγου, uti su-  
prà quoq; dicebamus. Harum autem particeps fieri non poterat, quin simul par-  
ticeps fieret Hypostaseos ejus. Atq; ita Hypostaticè Humanitas unita est τῷ  
λόγῳ.

CCXXVI.

Hinc rectè dicimus: Humanitatem, quæ præstare per se non possit, præ-  
stare per suam Divinitatem, seu per δυνάμεις Divinitatis, quarum particeps  
facta

facta est. At quomodo recte dici possit; Hoc sine Humanitati adjunctam & personaliter copulatam esse Deitatem, ut quod Humana natura prestare non potuit, per Deitatem perageretur, non perinde conspicuum est.

CCXXVII.

Si enim finis copulationis illius seu Unionis personalis fuit is, ut per Divinitatem perageretur, quod Humana natura non posset, sequitur non Divinitatem, sed Humanitatem univisse. Id enim proprie unit, & illi proprie alterum unitur, quod altero indiget ad ἀποτέλεσμα aliquod producendum, quod sine illo producere non potuisset. Iam verò Divinitas non indigebat Humanitate ad peragendum illud, quod per Divinitatem peragendum erat. Non igitur Divinitas unijt, sed Humanitas. Aut quia absurdum hoc est, Finis copulationis personalis non fuerit, ut, quod Humanitas prestare non potuit, per Divinitatem perageretur.

CCXXIII.

Deinde nec illud reprehensionem effugit, quod Divinitatem Humanitati adjunctam dicis. Quamvis enim agens primario sine organo rem non perficiat: nec organum sine agente primario; haud tamen sine ἀνεργολογία dici potest, primarium adjungi organo & secundario agenti, ut quod secundarium prestare non potest, perficiatur per primarium: Sed secundarium & ὄργανον recte dicitur adjunctum primario, quod instruit, praesertim, si hoc sit ἀνδρωόσατον. Divinitas igitur non debet dici adjuncta Humanitati, sed si quid adjunctum dicere huius fas est, Humanitas adjuncta erit Divinitati. Hæc πρῶτος agit, δευτέρως illa.

CCXXIX.

Tertio apparet ex his, non esse rationem parem Redemptionis, quæ ad officium Christi Mediatoris pertinet, & Gubernationis, quæ ad officium Christi Regis spectat. Illa sine Humanitate expediri non potuit, ideoque Unionis causa merito statuitur: Hæc sine Humanitate potuit perfici, sicut factum est, tum ante incarnationem Christi, tum ante exaltationem ejus, & fieri etiamnum posset. Quod autem non fit, fructus id est redemptionis.

CCXXX.

Deinde respondes ad Minorem: Negas nos regi ossibus, carnibus, & nervis Christi, syllogismo, quem te Ubiquitarijs ventilandum proponere jactas: Qui alios regunt, eos oportet sapientia & prudentia præditos. Atqui ossa, carnes & nervi Christi non sunt sapientia & prudentia præditi. Ergo ossa, carnes & nervi Christi alios non regunt.

CCXXXI.

Contrà. Nihil hinc ventilatione dignum. 1. Argumentum est à particulari: Non est consequens: Ossa, carnes & nervi Christi non regunt. Ergo Humanitas.



manitas Christi non regit. Non magis quàm hoc : Pes Iodoci non scripsit. Ergo Iodocus non scripsit. Vel : Facultas sensitiva hominis non intelligit. Ergo homo non intelligit.

CCXXXII.

Secundò in Minore est μετάβασις ἐπὶ ἄλλο γένει. Major loquitur de personis : non item Minor. Illa igitur sic corrigenda. Quicquid alios regit, id oportet esse prudentia & sapientia præditum : Et tum negamus κατὰ πῶτος veram. Etiam si enim ossa, carnes & nervi Christi sapientia & prudentia præditi non sint, attamen sunt ejus, qui sapientia & prudentia est præditus. Qui cum res gubernat, operationem Gubernationis hujus per istam carnem exerit. Id quod satis est, ut ipsa quoque regere, πῶς dicatur.

CCXXXIII.

Quod vel tuis verbis evincimus. Scribis enim : Nec verò is tantum regit, qui potentia sua defendit subditos, sed qui eos etià consilio & prudentia instruit. Unde colligimus : si quædam regentis actio est divina potentia operatio, et Divina potentia operationes communicatae sunt carni Christi : ut demonstratur alibi, etiam quædam regentis actio communicata est carni. At quædam regenti actio est potentia divina operatio. Ergo quædam regentis actio est communicata carni. Et vi consequentis : Caro Christi quoque suo modo regit.

CCXXXIV.

Assumptum probatur : quia defensio subditorum est regentis actio, eademque divina potentia operatio est. Item instructio ad consilia & prudentiam. Etsi enim caro Christi consulta & prudens non possit dici, attamen per ipsam instructio ad consilia & prudentiam peragitur : quo fit, ut ipsi quoque tribui suo modo possit.

CCXXXV.

Neque necesse est, quod tu Iodoce fingis, Si Ubiquitarij pergant contendere, humanitatem Christi eodem modo regere Ecclesiam, quo Deitas eam gubernat, ut concedant non tantum de anima, sed etiam de corpore. Potest enim tribui aliquid Humanitati, etiam ex ijs, quæ per Unionem personalem ipsi communicata sunt, quod tamen non ratione utriusque partis ipsi competat. Neque enim Digitos Christi dicimus omniscios : ut omnisciam dicimus Humanam naturam Christi, & Animam ejus : quia illud ἀντιφατικῶς repugnat.

CCXXXVI.

Postremò attexis hoc confectarium : Si ossa, carnes & nervi Christi non regunt creaturas, non erunt præsentia creaturis. Verba tua de syllogismo antè proposito sic sonant : Hunc syllogismum in hunc finem propono, ut Ubiquitarij intelligant, non regi nos ossibus & nervis Christi ad dextram Dei collocatis, eaque de causa non opus esse, ut carnes & ossa Christi,

Christi,



Christi, quo rectè Ecclesia regatur, omnia loca impleant, sicq; subjectis  
creaturis præsentia sint.

CCXXXVII.

Contrà. 1. Quomodo carnes, ossa, & nervi Christi nos regant, diximus.  
2. Error est  $\omega\alpha\gamma\alpha$  τὸ ἐπόμενον in connexo. Non sequitur: Quicquid omnia  
regit, illud est omnipræsens. Ergo quod non omnia regit, non est omnipræsens.  
Quippe regere omnia non est causa omnipræsentiæ, sed effectus. Cause autem  
quas propter nihilominus omnipræsentes essent caro, ossa, & nervi Christi,  
etsi non regerent omnia, expeditæ sunt: 1. Unio 2. Collocatio eorum in throno  
dexteræ Dei. 3. Quia etsi carnes Christi &c. non regerent, Christus tamen se-  
cundum animam omnia regeret, ideoq; omnipræsens esset. Iam verò anima  
non potest esse omnipræsens, quin simul corpus Christi, in quo est anima, esset o-  
mnipræsens.

CCXXXVIII.

RATIO NOSTRA OCTAVA.

Quicquid translatum est extra omnem loci conditionem,  
& suam subsistentiam habet non in loco, illud est ubique &  
non in loco.

Atqui caro Christi translata est extra omnem loci con-  
ditionem & suam subsistentiam habet non in loco.

Ergo caro Christi est ubiq; & non in loco.

CCXXXIX.

Assumptio, inquis, falsa est. Ita ne? Responde igitur ad hunc syllogis-  
mum. Cujus subsistentia est subsistentia τῆς λόγῆς, illud extra omnem loci condi-  
tionem est translatum, & subsistentiam habet non in loco. Atqui Carnis Chri-  
sti subsistentia est τῆς λόγῆς subsistentia. Ergo Caro Christi extra omnem loci  
conditionem est translata & subsistentiam habet non in loco.

CCXL.

Propositio in clarissima veritatis luce est posita. Quippe subsistentiam λό-  
γῆς extra omnem loci conditionem translata esse negare, nisi negando insanire  
velis, non potes.

Assumptionem probat hic Disiunctus. Aut enim carnis subsistentia est sub-  
sistentia ipsius propria; aut est  $\sigma\omega\omega\lambda\omicron\upsilon\pi$  aliquod, ex utriusq; naturæ subsisten-  
tiâ conflatum: aut est subsistentia τῆς λόγῆς propria, communicata carni. At non  
est carnis subsistentia: alioqui duæ essent in una persona subsistentiæ, id est, duæ  
personæ in una persona,  $\alpha\upsilon\tau\alpha\phi\alpha\tau\iota\kappa\omicron\upsilon\pi$ . Nec est  $\sigma\omega\omega\lambda\omicron\upsilon\pi$  aliquod conflatum è sub-  
sistentia carnis & λόγῆς. Siquidem in subsistentiam compositio non cadit. Est er-  
go subsistentia τῆς λόγῆς propria, communicata carni.

Inde

CCXLI.

Inde Damascenus lib. 3. de orth. fid. cap. 24. Vna verbi Hypostasis & Verbi & animæ & corporis fuit Hypostasis: nunquam enim neq; animæ neq; corpus propriam habuere Hypostasin, præter eam, quæ Verbi est. Ibidem cap. II. Primitias nostræ massæ assumpsit, non quæ secundum seipsam subsisteret & indiuiduum prius esset, & sic ab ipso assumpta, sed quæ in ejus Hypostasi subsisteret. Nam ipsa Hypostasis Dei Verbi facta est carnis Hypostasis. Et paulò post: carnem factum esse Verbum & ipsam Verbi Hypostasin inuertibiliter carnis factam esse hypostasin. Plura vide cap. 9. & alibi in memorato loco.

CCXLII.

Dispiciendum verò, quibus è fundamentis falsitatis assumptionem arguas. Affers tria. Siquidem, inquis, Christus fuit in utero matris conceptus, quem in loco esse nemo sanus negaverit.

CCXLIII.

Contra. Fundamentum hoc ficulnum est. Ex eo enim, quòd Christus in utero matris in loco conceptus fuit, nihil aliud effici potest, quàm Christum existentiam habuisse localem. Distinguiamus autem inter existentiam Humanitatis Christi naturalem, per quam in loco erat: unde localis dicitur: & existentiam ejusdem personalem, quæ peculiari nomine subsistentia dicitur, per quam extra loci conditionem erat positus: unde dicitur illocalis. Neutra tollit alteram. Itaq; Christus sic in loco erat per existentiam naturalem, ut per subsistentiam personalem simul extra loca esset.

CCXLIV.

Secundum. Ut autem rectius intelligatur, verè negari assumptionem, falsitatem argumenti ostendam argumentationibus, superiori parallogismo planè similibus.

Quicquid translatum est extra omnem loci & temporis conditionem, illud est ubiq; & æternum, non in loco aut tempore.

Atqui caro Christi etiã in utero matris translata est extra omnem loci & temporis conditionem.

Ergo caro Christi etiam in utero matris fuit ubiq; & æterna, non in loco aut tempore.

CCXLV.

Contra. Carnem Christi, quæ in utero matris erat per existentiam localem, personaliter fuisse, ubicunq; erat λόγος, quando negavimus? De æternitate verò alia est ratio. Non enim quemadmodum caro Christi translata in Hypostasin, locis exemptam, dicitur omnipræsens, ita eadem translata in hypostasin eandem, tempori omni exemptam, dicitur æterna. Idq; inde, quòd non sit par ratio

ratio Loci & Temporis. Locus enim est de quantitate continua, cujus partes sunt simul. At temporis partes non sunt simul, sed alijs subeuntibus, abeunt alijs. Quae causa est ut nihil aeternum dici possit, nisi quod ab aeterno extra temporis conditionem fuerit translatum.

CCXLVI.

Negamus itaq; Majorem copulatam, cujus pars haec: Quicquid translatum est extra temporis conditionem, id aeternum est: falsa est; nisi accipiatur de eo, quod per naturam suam translatum est. Caro vero Christi per Unionem, in tempore factam, translatum est extra temporis conditionem. Itaq; ipsa aeterna non est. Est tamen extra tempus illud, quod fuit, est, & erit, quamdiu ipsa fuit, ut non mensuretur ab eo. Illocalis enim Subsistentia Humanitatis in λογος facit, ut Humanitas locis, in quibus est, non circumscribatur: eadem Subsistentia exempta temporibus facit, ut non circumscribatur temporibus, in quibus fuit, est, & erit.

CCXLVII.

Tertiam: Quicquid translatum est extra omnem loci conditionem, id prehendi, crucifigi, & occidi non potest.

Atqui caro Christi translata est extra omnem loci conditionem in unione personali, ex hypothese Ubiquitariorum.

Ergo caro Christi prehendi, cruci affigi & occidi non potuit.

Conclusio haec absurda est; ergo ex absurda praemissa extruitur: vera autem est propositio: assumptionem ergo falsam & absurdam esse oportet.

CCXLVIII.

At nos contra negamus simpliciter veram esse propositionem. Vera est de eo, quod illocalem existentiam, secundum quam extra omnem loci conditionem existit, tantum habet. Carnem autem Christi non solum illocalem existentiam in Hypostasi τὸ λογος, sed etiam naturalem & localem habere, paulo ante dicebamus. Etsi igitur prehendi, cruci affigi, & mori non potuerit secundum illam; nihil tamen obstat, quod minus secundum hanc potuerit.

CCXLIX.

RATIO NONA NOSTRA.

Ubicunq; λογος est, ibi est incarnatus.

Atqui λογος est ubiq;.

Ergo λογος incarnatus est ubiq;.

CCL.

Multa Sophismata hic concurrunt, inquis. Duo tantum recenseres. Primum: Ambigua est conclusio; quia non appareat, an hunc habeat sensum:

G

sum:

sum : λόγος, qui jam est incarnatus, est ubiq; : an illum : λόγος carnē  
assumpsit ubiq; : quorum posterius falsum : λόγος carnem non assumpsit  
ubiq;, sed in solo virginis Mariæ utero. Prius est verum; sed nihil ad  
quæstionem controversam facit.

CCLI.

ΑΥΤΑΠΟΚΡΙΣΙΣ.

Quem sensum habeat, satis apparet, si referas animum ad scopum argumen-  
torum horum, qui est, probare carnem Christi esse ubiq;. Deinde ex termi-  
no Majore, in quo vox incarnatus refertur ad adverbium ibi, & dicitur incar-  
natus ibi, quia non solus ipse est ibi (sic enim incarnatus quidem esse posset, non  
incarnatus ibi) sed etiam caro ejus : ex quo sequitur, quando in conclusione dici-  
tur : λόγος incarnatus est ubiq; : ita esse ubiq;, ut sit in carne sua, quæ simul sit  
ubiq;. Non autem (quæ est Sophistica διαίρεσις vocabuli incarnatus à prædica-  
to) λόγος, qui est incarnatus, esse ubiq;.

CCLII.

Alterum : Deinde propositio syllogismi similiter ambigua. Ad-  
mittit enim triplicem sensum, nempe, ubicunq; jam λόγος est, ibi car-  
nem assumpsit : &, ubicunq; jam λόγος est, ibi, seu illo in loco etiam  
est caro assumpta : Et ubicunq; jam λόγος est, ibi ita est, ut carnem as-  
sumptam secum habeat, licet non in omnibus locis, ubi ipse est. Qui  
posterior sensus verus est, duo priores falsi.

CCLIII.

Contra. Rursus Oedipo opus non erat. Sensum primum non habere lo-  
cum, judicatu erat facile. Non enim agitur de assumptione carnis, sed de existen-  
tia λόγος in carne. Tertius, quem tu verum dicis, ipse secum pugnat. Nam si  
λόγος, ubicunq; est, carnem suam secum habet, caro erit, ubicunq; est λόγος.  
Quippe particula secum notat coexistentiam in loco : ut si dicam, sapiens omnia  
sua portat secum, intelligo, omnia, quæ sapientis sunt, ibidem esse, ubi sapiens est.  
Aut si caro non est, ubicunq; est ο λόγος, λόγος non habebit secum carnem,  
ubicunq; est. Quod probat omnium bene loquentium usus.

CCLIV.

Restat igitur sensus medius : Ubicunq; jam λόγος est, ibi seu illo in loco  
etiam est caro assumpta : quem tu falsum dicis, sed immeritò : sed dicis dustaxat.  
Nos ut formaliter illum propositionis sensum esse negamus, verum tamen, quod  
dicitur, esse affirmamus ; quia sequitur e sensu formali, qui est verus.

CCLV.

Quod sic ostendimus : si λόγος ubiq; est incarnatus, ergo ubicunq; jam  
λόγος

λόγος ἐστὶν, ἰβὶ seu ἰλλο ἰν loco ἐστὶν caro assumpta. Atqui λόγος ὀβὶq; ἐστὶν incarnatus. Ergo ubicunq; jam λόγος ἐστὶν, ἰβὶ seu ἰλλο ἰν loco ἐστὶν caro assumpta.

CCLVI.

Consecutio propositionis probatur. Quia incarnatum esse λόγον, nihil ἐστὶν aliud, quàm λόγον existere ἰν carne, non extra carnem. Ergo λόγον incarnatū esse ἰβὶ, ἐστὶν λόγον ἰβὶ existere ἰν carne & non extra carnem. Ergo incarnatum esse ὀβὶq;, ἐστὶν ὀβὶq; existere & inhabitare ἰν carne, & ὀβὶq; non existere extra carnem.

CCLVII.

Assumptum probatur hoc ἀπαγωγικῶς: Si λόγος non esset ὀβὶq; incarnatus, sed alicubi (ubi caro esset) esset ἰν carne sua, ideoq; incarnatus; alicubi vero (ubi caro non esset) extra carnem, ideoq; non incarnatus; idem λόγος passet dici ἐνσαρκος ἢ ἄσαρκος: & quia totus ἐστὶν, ubicunq; ἐστὶν, τοὺς ἐνσαρκος ἢ ἄσαρκος. Consequens ἀδεόλογος. Ἀδεόλογος ἰgitur Antecedens.

CCLVIII.

Futile ἰgitur ἐστὶν, quòd, ut concludatur id quod volumus, ἰοdocus argumentum sic formandum dicit: Ubicunq; ἐστὶν ὁ λόγος, ἰβὶ ἐστὶν caro τῷ λόγῳ. Atqui ὁ λόγος ἐστὶν ὀβὶq;. Ergo caro τῷ λόγῳ ἐστὶν ὀβὶq;. Non enim hoc idem ἐστὶν argumentum cum superiori, sed superius ἐστὶν prosyllogismus, quo probatur huius Major. Itaq; & illud nugatorium ἐστὶν, quòd dicit: nos Majorem sumere tanquam δὶδόμενον, quæ sit ζητούμενον. Atqui tanquam δὶδόμενον non sumitur, quod probatur.

CCLIX.

Si ὁ λόγος ὀβὶq; non existit extra carnem suam, sed ὀβὶq; ἰν carne sua, caro erit, ubi λόγος ἐστὶν. Aut si caro non ἐστὶν ὀβὶq;, ubi λόγος ἐστὶν, ὁ λόγος alicubi existit extra carnem suam, quatenus caro ejus alicubi non ἐστὶν, ut ἰbidem ἰν ea existat. At si λόγος ὀβὶq; ἐστὶν incarnatus, λόγος ὀβὶq; non existit, extra carnem suam, sed ὀβὶq; ἰν carne sua. Ergò si λόγος ὀβὶq; ἐστὶν incarnatus, caro erit, ubicunq; ἐστὶν ὁ λόγος.

CCLX.

Atq; hæc sunt, quæ tecum disceptanda fuerunt: quæ si sunt ad salivam tuam, ἰδοce, pascere: si secus, ringere. οὐ φροντίζῃ ἰπώκλειδῃ.

F I N I S.

AD  
HUMANISSIMUM ET ERV-  
DITISSIMUM VIRUM M. IOHAN-  
NEM SCHROTERVM HASSVM,  
Respondentem.

**N**ec vulpinari, nec utriq; illudere parti  
Convenit, ut sciolus nunc Mediator agit,  
Consensum ambiguis emendicare loquelis,  
Et pulrem ambustâ volvere fauce jubet.  
Scilicet hoc sapere est ! primo est hic astus ab angue;  
Et tamen hæc fraus est ingeniosa minus :  
Ecquid enim hi præstant, quod non muliercula quævis ?  
Sic Thais innumeros luserit una procos.  
Non sic, Nassovij quem protrudere, NAUMUS ;  
Ille suum rictu virus hiante vomit.  
Mirum autem, si non aliquando resorbeat illud,  
Vrsus ab antidoto, IANÆ subacte, tuo.  
Nempe SIGENENSIS non hic audire merebat,  
Nominis hoc et si vocula Græca notet.  
Cur non à Catto fuit inferiore profectum,  
Quod modo Nassovius fortiter ausus hic est ?  
Quippe ut *Bucephali*, promissâ nare, *talenta*  
Qui sua (ne lateant) *effodienda* crepant :  
Queis, licet immatura, tamen protruditur VVA ;  
Qui *byso* & *cocco* vela superba neunt.  
At tua Theologis themata imperitantibus extant,  
Quos pia Cartorum cura salutis edit.  
Rumor erat constans, inferna quoq; Hafsia, quàm fit  
Tota Genevensi computrefacta lue.  
Rumor erat, sed erat rumor modo ; quippe, quod haud fit,  
Præclari exemplis edocuere viri.  
His, SCHROTERE, tuum feliciter inferre nomen ;  
Et genio ingenij vivere perge tui.  
Fortiter innocuos Momi contemnito morsus :  
Latraturum nequeunt dedicisse Canes.

*Iohannes Rodenburgius Antwerpianus,*

Mag. VI 27

[Dissertationes theol.  
Vol. 7 1.]

ULB Halle 3  
001 511 165



sb.

1017-00



ELEXCHILS Contentorum.

Problema, utrum p. aialem Dei notitiam, citra revelata silvique proficit. *Volckmar, Schraderi.*

Theorema, quod ex vbo revelato unigsa salutis via petenda sit. *Volckmar.*

Theorema, qd revelata pba externa, qd in sacrobiblici codice contineri affirmant Chri-  
stiani, sit indubitato pba Dei. *Volckmar.*

Problema utrum libri biblici omnes cum omnibz suis partibz pnt in Vulg. Lat. ed. tunc  
habent & canonicis suscipiendi sint. *Volckmar.*

Problema num pbi divini auctoritas tantum ab Eccl. raone hominum eode beneficio  
ad eterna vira hereditate aspirantium pendeat. *Volckmar.*

Theorema qd S. Scriptura satis sit pspicia. *Volckmar.*

Theorema, de pfectione & sufficientia S. Scrae in loquntibz fidei Christianae. *Volckmar.*

Problema, utrum Scra autentica in hebreis graecisq; fontibz, an verum vulgata  
Vul. Lat. pstantia sit. *Volckmar.*

Theorema qd Deus unus in essentia Trinus in Personis sit. *Volckmar.*

Theses de incarnatione Filii Dei. *Volckmar.*

Theses de communicatione idiomatu. *Volckmar.*

Theorema de omnipotentia Christi totis in dextra maiestatis divinae. *Volckmar.*

Theorema de habituali Christi scientia, & vero eode inscientia illa pfecta. *Volckmar.*

Theorema de officio mediatoris se, non raone suppositi tm, sed veri ad utraq;  
Chri nam extendente. *Volckmar.*

Theses de Spiritus S. divinitate, aeternaq; a Patre & filio pceptione. *Volckmar.*

Theses de Regimine Ecclesiastico visibili. *Volckmar.*

Problema, utrum Pontifex Rom. sit antichristus, eisd.

Theses de Conciliis, eisd.

24<sup>th</sup> l. b. d. De vera Christi in terris Eccl. et num ea in fide errare &  
deficere possit, eisd.

quaestio de notis vera Eccl. eisd.

Th. De vera & legitima vocatione et electione ministror. Eccl.

Theses de votis monasticis.

24<sup>th</sup> l. b. d. De dignitate & officio Magistratus secularis.

Examp. Theol. utrum heretici p. uas, et haereticos legitime victi capti sup.  
phico officii debeant.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nāa infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd sit Gog Magog, Babil, Mesob. 2. qd p̄ hoc vocab. Turca significantur  
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loca dōm ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuiā ratione sit repri. mēdō. 5. Quo pacto et q̄ armis tandem mediantibus fuerint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.

Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Bernades.


Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.





B.I.G.

Farbkarte #13

THEMATA THEOLOGICA  
DISPUTATIONIS ANASCEVA-  
*sica secunda,*  
DE COMMVNICA-  
TIONE IDIOMATVM REALI,  
QVÆ GENERIS EST TERTII,  
*Qua*  
SVB PRÆSIDIO REVE-  
RENDI ET CLARISSIMI VIRI,  
Dn. SALOMONIS GESNERI, SS. Theologiae  
Doctoris & Professoris in alma Witeber-  
genſium Academia,  
*Contra*  
IODOCUM NAUM SIGENENSEM,  
tuebitur  
M. IOHANNES SCHRODERUS  
Treſenſis Haſſus.  
  
WITEBERGÆ,  
*Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.*

45

47

